SI - PALLI
A

Digitized by Google

·BIBLIOTECA··
·LVCCHESI·PALLI·

Grande Sala O.S.
11-V-30

Leopoldo Lucchesi. P. N. 3

III 12 V 30

Digitized by Google

Digitized by Google

199 84

C. VALERII CATVLLI

ALBII TIBVLLI

SEXTI AVR. PROPERTII

CARMINA CASTIGATA

CVM NOTIS

TAVRINI
ex typ.
HYACINTHI MARIETTI

Digitized by Google

C. VALERII

CATVLLI

VERONENSIS

CARMINA CASTIGATA

AVG. TAVRINORVM
EXCVDEBAT HYACINTHVS MARIETTI
AN. M. D. CCC. LXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

TYPOGRAPHVS TAVRINENSIS

L. S.

In eo sumus temporis, quo, non in Italia solum, verum etiam ubique terrarum, latini sermonis germanus nitor ac elegantia ad pristinam revocatae dignitatem, antiqua in sede incolumes consistere iubentur. Ideoque mirandum non est, tot, tantasque aureae illius latinitatis scriptorum prodire in dies editiones. Quas inter, haud iniuria, principem dixeris eam, quae in incerto est, utrum maiori audacia incepta, an felicitate prosequuta, tantam apud exteras quoque nationes Augustae nostrae famam comparavit. Porro quum opera omnia omniumque scriptorum complectatur, maiores sumtus postulat, et non nisi provectioribus est adeunda: quos vel ipsos, ni perfrictae omnino frontis existimemus, minus stili venustatem probaturos, quam foeditatem sententiarum execraturos, putandum est.

Quapropter mihi reliquum fore duxi, ne ea quoque auctorum series desiderarctur, quae et facile comparari, et sine morum iactura a iunioribus legi posset. Et ne vanis cogaris credere verbis, Catullum hunc genuini leporis ac aureae venustatis scriptorem, clarissimorum virorum, Vulpii praesertim, selectis illustratum adnotationibus, veluti specimen studiorum ac laborum nostrorum, Lector, habeto.

Digitized by Google

DE VITA

CATVLLI

EX IO. ANT. VVLPIO.

Veronensem fuisse Catullum, liquido constat, cum ex Ovidio, Plinio maiore, Martiale, Ausonio, ceterisque, tum ex ipsius testimonio, qui a Bithynia reversus Sirmionem, lacus Benaci peninsulam alloquens, ad larem domesticum salvum se advenisse gaudet. Natus est anno ab Vrbe condita DCLXVII., L. Cornelio Cinna, Cn. Octavio Coss. Parentem habuit Valerium, ex honesta familia municipali, cuius nimirum hospitio, si Tranquillum audimus, C. Iulius Caesar uti solitus fuit. Non amplissimam quidem pecuniam possedit; patrimonio tamen satis lauto fuisse videtur. Nam et Romae, in urbe sumtuosa, diutius commoratus est, ac fundum in agro Tiburtino possedit; navi sua in Pontum navigavit, ac se *Sirmionis herum* appellare non veretur, quae omnia profecto sunt hominis locupletis, et cui familiares copiae non desint. Molliori scribendi genere haud minorem consecutus est gloriam, quam sublimi vereque divino Aeneidos poemate vates mantuanus. Graecis litteris non leviter imbutum fuisse, ex eo colligi potest, quod suavissimam Callimachi elegiam de Coma Berenices mundissimis carminibus latine reddiderit; ob id etiam fortasse a Tibullo, Ovidio, Martiale *doctus* appellatus. Quinctilianus et Diomedes inter Poetas Iambicos *Catullum* reponunt. Ante Horatium profecto iambicis versibus gloriam *Catullus* adeptus fuerat. Hieronymus Lyricis annumerat: reliqui Epigrammatographis. Ambigitur iure a nonnullis, utrum haec solum paucula quae hodie extant ab illo scripta fuerint, an vero longe plura, quae vetustas nobis inviderit. Ansam ad dubitandum dat Plinius, qui de Incantamentis aliquid a *Catullo* exaratum innuit, cuius ne vestigium quidem superest. Decessit annos aliquot natus ultra quadraginta.

Digitized by Google

C. VALERII CATVLLI

AD CORNELIVM NEPOTEM

LIBER

CARMEN I.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Iam tum, quum ausus es unus Italorum 5
Omne aevum tribus explicare chartis,
Doctis, Iuppiter! et laboriosis.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli et
Qualecumque: quod, o patroa Virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo. 10

Arg. Carm. I. *Dedicat libellum suum Cornelio Nepoti chronicorum scriptori.*

Vers. 1. *Quoi dono.* Saturnalibus praecipue, libri, vel proprio, vel alieno Marte conscripti, dono mittebantur amicis et patronis: interdum etiam, ioci et urbanitatis caussa, seligebantur carmina inepta. Id factum quoque Martiis Kalendis, quae quasi Saturnalia mulierum erant.

V. 5. *Tribus chartis*, paucis et brevibus pagellis exponere.

V. 6. *Omne aevum.* Chronica scripserat Cornelius Nepos, teste Gellio lib. 17. Noct. Actic. cap. 21. *Omne aevum*, tria tempora interpretatur Vossius, scil. obscurum, fabulosum, historicum. Nisi mavis intelligere omne tempus praeteritum ab urbis, vel orbis primordio; ita ut Cornelius quidquid ab orbe condito, populi omnes et reges gesserant, paucis libellis comprehendisset.

V. 8. *Quicquid*, libellum hunc, quicumque sit.

V. 9. *Quaecumque*, qualiscumque pretii sit.

» *Patroa Virgo.* Patria Virgo. Quos enim Graeci Deos *patroos*, hos Romani patrios vocabant. Hic itaque *Virgo Patroa* est Minerva, seu Pallas, quam sine matre ex capite patris Iovis natam fabulantur Poetae. Patroae autem cognomine insignis est, tum quia in Diis patriis numeretur, tum etiam quia vera parentis imago sit, et omnino patrisset.

Digitized by Google

CARMEN II.

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meae puellae,
Passer deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat: 5
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene quam puella matrem:
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat. 10
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis. 15
O factum male! o miselle passer!
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Arg. Carm. II. *Passeris a Lesbia dilecti obitum lamentatur.*

V. 2. *Quantum est*, quotquot sunt homines venusti.
V. 11. *Per iter*. Eo usque vani fuerunt Poetae, ut vel avicularum umbras ad Elysios migrare docerent.

CARMEN III.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo. 5
Et hoc negat minacis Hadriatici

Arg. Carm. III. *Phaselum quemdam emeritum, ab origine, celeritate, itineribus laudat, Diisque servatoribus consecrat.*

V. 2. *Ait fuisse celerrimus*. Graeca syntaxis, pro, ait se fuisse celerrimum.
V. 3.-4. *Neque... nequisse*, et potuisse praeterire velocem cursum.
V. 6.-7. *Negat... negare*, affirmat hu usce rei esse testes, litus, etc.

Digitized by Google

Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam;
Propontida, trucemve Ponticum sinum,
Ubi iste, post phaselus, antea fuit 10
Comata silva: nam Cytorio in iugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait phaselus: ultima ex origine 15
Tuo stetisse dicit in cacumine;
Tuo imbuisse palmulas in aequore;
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse: laeva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Iuppiter 20
Simul secundus incidisset in pedem.
Neque ulla vota litoralibus Diis
Sibi esse facta, quum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita 25
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

V. 7. *Cycladas*, in Aegeo mari sitas circa Delum.

V. 8. *Rhodum*, insulam Carpathii maris, nobilem disciplinis, mercatura, egregiis artificum operibus, praecipue Solis colosso.

» *Horridam*, fortasse ob Aquilonem, ventum e Thracia flantem.

V. 9. *Propontida*. Propontis est pars Mediterranei maris, quae inter Hellespontum et Bosphorum Tracium porrigitur.

V. 9. *Ponticum sinum*, mare Euxinum. Sinum dicit trucem, quia procellosus est.

V. 10. *Vbi*. Nam Ponti regio silvis frequens, unde materies navibus compingendis.

V. 11. *Comata*. Antea fuit frondosa arbor post factus phaselus.

» *Cytorio*. Cytorus Paphlagoniae mons, buxo abundans, ex quo pectines fiebant.

V. 12. *Loquente*, strepentibus frondibus.

V. 13. *Amastri*. Amastris, oppidum Cytoro proximum.

V. 15. *Vltima*, a prima origine.

V. 18. *Impotentia*, procellosa.

V. 19. *Iuppiter*, pro vento. Sive ventus propitius impleret utramque extremitatem veli, ita ut rudentes, quibus extremae veli partes dextra laevaque navi colligantur, aeque distendereutur. Hi rudentes, a Latinis *pedes*, ab Italis *poggia ed orza* vocari consueverunt.

V. 22. *Litoralibus*, qui fana in litoribus habebant.

V. 24. *Novissimo*, remotissimo, scil. Ponto Euxino.

» *Lacum*, Benacum.

V. 26. *Dedicat*. Castori et Pollouci naviculas dedicabant e maris periculis, aut naufragio servati.

CARMEN IV.

Vivamus, *Socii*, *iocosque* amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
Nobis, quum semel occidit brevis lux, 5
Nox est perpetua una dormienda.

Arg. Carm. IV. *Socios ad hilariter vivendum hortatur.*

v. 3. *Vnius... assis* nihili.

CARMEN V.

Veranni, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis:
Venistine domum ad tuos Penates,
Fratresque unanimos, tuamque matrem?
Venisti? o mihi nuntii beati! 5
Visam te incolumem, audiamque Hiberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus: applicansque collum,
Iucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum, 10
Quid me laetius est, beatiusve?

Arg. Carm. V. *Laetatur Verannium suum salvum ex Hispania rediisse.*

v. 2. *Antistans mihi*, quem unum prae caeteris amicis omnibus facio plurimi.

v. 7. *Nationes*. Triplex Hispaniae natio: Tarraconensis, Baetica, Lusitana.

v. 10. *Quantum est*. Inter omnes homines feliciores.

CARMEN VI.

Furi et Aureli, comites Catulli:
Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda:
Sive in Hircanos, Arabasque molles, 5
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Sive qua septemgeminus colorat
Aequora Nilus:
Sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monumenta magni, 10
Gallicum Rhenum, horribilesque, ultimosque Britannos:
Omnia haec, quaecumque feret voluntas
Caelitum, tentare simul parati,
Pauca *vos Rufo modo* nuntiate 15
Non bona dicta:
Ne meum respectet, ut ante, amorem;
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimi flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est. 20

Arg. Carm. VI. *Sodalibus suis mandat, ut amico infideli vale dicant.*

V. 1. *Furi* Achilles Statius Furium hunc fuisse Furium Bibaculum, elegantis ingenii poetam; Aurelium autem, L. Aurelium Cottam praetorem, opinatur.

V. 3. *Ut*, positus pro *ubi*.

V. 5. *Hircanos*, populos ultra Armeniam sitos ad mare Caspium, proximos Parthis ad meridiem.

» *Arabas*. Arabia Asiae regio non procul ab Aegypto.

V. 6. *Sacas*. Sacae populi proximi Scytis.

» *Parthos*. Persidis populos, qui ab equis pugnabant, et simulata fuga hostem in insidias trahebant.

V. 7. *Septemgeminus*, septem ostiis in mare se se effundens.

» *Colorat*, inrbat.

V. 10. *Monumenta*, trophaea Caesaris, Gallis debellatis.

V. 11. *Rhenum*, Germaniae flumen.

» *Gallicum*, ad discrimen Rheni Bononiensis.

» *Horribiles*, hospitibus feros; vel horribiles adspectu.

V. 13. *Omnia haec*. Quasi diceret: mox videbo, quo tandem recessura sint promissa vestra magnifica; utrum scil. rem adeo facilem minimique laboris, a me vobis mandatam, suscepturi sitis, nec ne.

V. 14. *Tentare*, haec loca mecum adire cum prompti sitis.

CARMEN VII.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in ioco atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte;
Quamvis sordida res, et invenusta est. 5
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, et facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos 10
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet aestimatione,
Verum est mnemosynon mei sodalis.
Nam sudaria Saetabe ex Hibera
Miserunt mihi muneri Fabullus, 15
Et Verannius: haec amem necesse est
Ut Veranniolum meum et Fabullum.

Arg. Carm. VII. *Asinium furem ad raptum sudarium sibi remittendum satis minaciter hortatur.*

V. 1. *Marrucine.* Italiae populi fuerunt Marrucini inter Vestinos atque Pelignos, quorum caput Teante, hodie *Chieti.*

» *Sinistra.* Laeva apud antiquos furto erat infamis.

V. 3. *Lintea*, ital. *fazzoletti.*

V. 6. *Pollioni.* Hic est Asinius Pollio, Augusti Caesaris amicus, orator egregius.

V. 8. *Mutari.* Qui vel ingentem pecuniae summam expendere sit paratus, ne fratrem habeat furem: *vel*, qui tuam innocentiam, et ab alieno abstinentiam, vel talento libenter permutaverit, ac redemerit.

V. 13. *Mnemosynon*, ital. *ricordo.*

V. 14. *Saetabe.* Saetabis oppidum Hispaniae prope Sucronem amnem unde linum laudatissimum.

CARMEN VIII.

Coenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Coenam, non sine candido *sodali*,
Et vino, et sale, et omnibus cachinnis. 5

Arg. Carm. VIII. *Fabullum ad coenam invitat.*

V. 2. *Paucis diebus*, intra paucos dies.

V. 5. *Sale.* pro salibus facetis.

Haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
Coenabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores;
Seu quid suavius, elegantiusve est: 10
Nam unguentum dabo, quod *mihi benigne*
Donarunt Veneres Cupidinesque:
Quod tu quum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

V. 8. *Sacculus*, crumena, quae pecunia caret; ita ut aranea telam texens, in ea opus fecerit.

V. 9. *Meros amores*, meram ipsam suavitatem. Sic unguentum, quod ei daturus erat, appellat. Animum hilarem ingenuum interpretantur alii.

V. 10. *Seu quid*, aut siquid.

CARMEN IX.

Ni te plus oculis meis amarem,
Iucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis? 5
Isti Dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sulla literator;
Non est mi male, sed bene, ac beate, 10
Quod non dispereunt tui labores.
Dii magni, horribilem et sacrum libellum!

Arg. Carm. IX. *Sodali suo, quod sibi Saturnalibus malorum poetarum carmina dono misisset, per iocum irascitur.*

V. 2. *Calve.* Hic est C. Licinius Calvus, poeta et orator insignis.

V. 3. *Vatiniano*, vel eo odio, quo boni omnes Vatinium prosequebantur: vel eo quo Vatinius ipse oderat C. Lic. Calvum, oratorem acerrimum, qui eum de ambitu accusaverat.

V. 5. *Tot poetis*, tot malis carminibus.

V. 6. *Clienti*, tuo scil., qui tibi patrono suo mannsculi loco misit tantum malorum carminum copiam.

V. 9. *Sulla literator.* Cornelium quemdam Epicadum, L. Sullae Libertum, Sullam hunc suspicatur fuisse Muretus, qui a patrono manumissus, sibi de more patroni cognomen sumsserit. Erat hic grammaticus non contemnendus, Poetarum scil. interpres.

V. 10. *Mi male*, non queror, sed gaudeo, tibique gratulor, quod labores, quos sustinuisti, Sullam defendendo, tam bene compensentur.

V. 12. *Sacrum*, execrandum.

Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum. 15
Non, non hoc tibi, salse, sic abibit
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Caesios, Aquinios,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor. 20
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tulistis,
Saecli incommoda, pessimi poetae.

V. 14. *Misti*, misisti.

» *Continuo*, ut acceptus a Catullo, statim periret, i. e. vel in ignem mitteretur, vel fieret piperi cucullus.

V. 15. *Die Saturnalibus*, nimirum eo die quem Romani appellabant Saturnalia. Festa haec erant in honorem Saturni, conviviis, ludis, hilaritate, mense Decembri celebrari solita.

» *Optimo dierum*. Primus Saturnalium dies duobus, aut quatuor sequentibus dignitate praestabat: quod scil. antiquiores eum unum diem solemnem habuissent.

V. 16. *Non, non, hoc*, non impune feres.

V. 17. *Si luxerit*, quum primum dies ortus fuerit.

V. 19. *Venena*, inepta et mala carmina.

V. 20. *Suppliciis*, pari merce te remunerabor.

CARMEN X.

O Colonia, quae cupis ponte ludere ligneo,
Et salire paratum habes, sed vereris inepta
Crura ponticuli asculis stantis, irredivivus
Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat, 5
In quo vel Salii ipsulis sacra suscipiunto:

Arg. Carm. X. *Coloniam rogat, ut de suo ipsa ponte sublicio stolidum quemdam hominem Veronensem in suppositam paludem mitti patiatur.*

V. 1. *Colonia*. Coloniam hanc oppidum esse haud procul Verona, quod hodieque nomen illud retinet, coniicit Muretus; Novum Comum, coloniam paullo ante a Cesare deductam a Poeta intelligi Scaliger credit. Ad genus carminis quod attinet, est, ait Muretus, genus quoddam hexametri ex heroico effictum, describendis rebus tantum ludicris aptum. Ab heroico distinguitur, quod primo quartoque loco pro spondaeo choreus, iambusve; tertio, creticus pro dactylo ponitur.

» *Ludere*, ludos facere. In pontibus olim spectacula edebant.

V. 5. *Libidine*, voluntate.

V. 6. *Ipsulis*. Ita legendum coniicit

Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quemdam municipem meum de tuo volo ponte
Ire praecipitem in lutum, per caputque pedesque:
Verum totius ut lacus putidaeque paludis 10
Lividissima, maximeque est profunda vorago.
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna:
Nec se sublevat ex sua parte: sed velut alnus
In fossa Ligurî iacet subpernata securi, 15
Tantumdem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam;
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum, 20
Et supinum animum in gravi derelinquere coeno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

cit Vossius. *Ipsulae* porro sive *ipsules*, ut docemur a Pompeio Festo, *erant lamellae necessariae sacris, quae ad rem divinam conferre dicebantur maxime, specie virorum et mulierum.* Has autem Salii Sacerdotes Martis, in ponte sublicio saltantes, una cum ancilibus gestare solebant.

V. 7. *Da*, fac videam spectaculum hoc maximae mihi voluptatis.

V. 10. *Ut* pro *ubi*.

V. 15. *Ligurî*, Ligurii cuiusdam: ut recte Vossius.

» *Subpernata*, in modum pernarum suillarum succisa Ligurii securi.

V. 16. *Tantumdem*, aeque sentiens omnia ac si non esset.

V. 17. *Stupor*, pro stupido.

V. 20. *Si pote*, si possit.

V. 21. *Supinum*, inertem.

CARMEN XI.

Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaque silva, Priape
Nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris.

Arg. Carm. XI. *Lucum Priapo dedicat.*

V. 1. *Priape.* Priapus hortorum Deus et custos, Bacchi et Veneris filius, Lampsaci, Asiae minoris urbe ad Hellespontum, praecipue colebatur.

V. 2. *Qua*, scil. ratione.

V. 3. *Te colit.* Priapus colebatur maritoribus, quod navigationi et mercaturae praeesse crederetur.

V. 4. *Ostreosior*, ostreis abundantior.

Digitized by Google

CARMEN XII.

Hunc ego, iuvenes, locum, villulamque palustrem,
Tectam vimine iunceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi
Nutrio: magis et magis ut beata quotannis.
Huius nam Domini colunt me, Deumque salutant 5
Pauperis tugurî pater filiusque coloni:
Alter assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa, asperaque, a meo sit remota sacello;
Alter parva ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla 10
Primitu', et tenera virens spica mollis arista:
Luteae violae mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitae, et suave olentia mala,
Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram 15
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella,
Pro queis omnia honoribus haec necesse Priapo
Praestare, et Domini hortulum vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus. 20
Inde sumite: semita haec deinde vos feret ipsa.

Arg. Carm. XII. *Inducitur Priapus fures admonens, ut ab horto sibi commisso manus abstineant.*

V. 2. *Tectam*, circumseptam.

V. 3. *Quercus*. Ego nimirum Priapus iam quernus stipes.

V. 4. *Nutrio*, custodio.

V. 10. *Picta*, corona ex floribus variis.

V. 11. *Primitu'*, in primis.

V. 12. *Luteum*, grana papaveris lutea sunt, folia vero sanguinea.

V. 14. *Educata*, ad maturitatem perducta.

V. 15. *Tacebitis*. Hac de re verbum non facietis. Cur Priapus hoc vetet, non adeo compertum est. Hoc inserit, inquit Muretus, quia legibus XII. sacra facere peregrinis Diis, nisi qui publice adsciti essent, non licebat.

Alii existimant maioribus tantum Diis, hostias mactare licitum fuisse, non item ruricolis. At Priapum asini sanguine publice placari solitum fuisse nemo ignorat. Polyaenus autem ille Petronianus hircum, arietem, porcellum lactantem Priapo vovet. Alio igitur confugiendum est, inquit Vulpius. Nocturno plurimum tempore sacris Priapi operabatur Antiquitas: eoque perditissimi quique confluebant, ubi nullus flagitiis modus. Quare consciis tam turpium sacrorum nihil magis commendabatur quam silentium. Priapus itaque taceri vult polluta haec sacrificia, quae severos homines ad iracundiam provocassent. Ego potius dixerim, ne hero, quo inscio, a colonis haec sacra fiebant, displiceret victimarum numerus, indictum fuisse silentium.

CARMEN XIII.

Ego haec, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus,
Agellulum hunc sinistra, tuto quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus. 5
Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens arista sole fervido,
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis 10
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit aere dexteram.
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa sanguinem. 15
Proin', viator, hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis; hoc tibi expedit.

Arg. Carm. XIII. *Idem Priapus rapaci viatori mulctam indicit.*

V. 2. *Arida*, ego, iam aridus stipes populnus.
V. 3. *Sinistra*, e regione agelli ad sinistram sita.
V. 5. *Tuor*, antique, pro tueor.
V. 11. *Adulta*, distenta ob lactis copiam.
V. 13. *Gravem*. Herum remittit domum manibus pecunia onustis.
V. 14. *Tener*, Nomina, quae *er* syllaba finiuntur, veteribus maximam partem communia fuerunt.
V. 17. *Sorsum*, seorsum continebis.

CARMEN XIV.

Suffenus iste, Varre; quem probe nosti,
Homo est venustus, et dicax, et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto 5

Arg. Carm. XIV. *Mali poetae Suffeni, mire sibi placentis in scribendo carmine, ridiculum sui ipsius amorem describit.*

V. 5. *Palimpsesto*. Palimpsestum erat membrana, ex qua deleri poterat quidquid in ea scriptum fuerat, ut aliud denuo scriberetur.

Relata. Chartae regiae, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia aequata.
Haec quum legas, tum bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus, aut fossor 10
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius, videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure
Simul poemata attigit: neque idem umquam 15
Aeque est beatus, ac poema quum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus cuique adtributus est error: 20
Sed non videmus manticae quid in tergo est.

V. 6. *Novi libri*, recenter compacti sunt, vel nova sunt librorum tegumenta.

V. 7. *Umbilici*, globuli sive circuli quidam umbelicorum figuram imitantes, qui, volumine absoluto, bacilli extremitati utrinque ad ornamentum addebantur, ital. *pomi*.

V. 7. *Lora*, corrigiae scil. rubro colore, maioris elegantiae caussa, quibus claudebantur et constringebantur libri in cylindri figuram convoluti.

V. 8. *Directa plumbo*, italis *rigata*. *Aequata*, expolita.

V. 11. *Rursus*, contra.

» *Abhorret*, tam diversus est a seipso.

» *Mutat*, pro *mutatur*.

V. 12. *Scurra*, fortasse hic pro *urbano* est.

V. 13. *Tritius*. Si quis magis scurra scil. urbano tritus esset in loquacitate.

V. 14. *Rure*, pro *rustico*.

V. 15. *Simul*, simul ac.

V. 18. *Idem*, eodem modo.

V. 19. *Suffenum*, Suffeni similem.

V. 20. *Error*. Unusquisque habet sua vitia.

V. 21. *Manticae*, non videmus peram propriis vitiis repletam, quam post tergum gestamus. Phaed. lib. 4. Fab. 9.

CARMEN XV.

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis:
Verum est et pater, et noverca, quorum

Arg. Carm. XV. *Ut Furium mendicum irrideat, paupertatis commoda salse enumerat.*

V. 1. *Arca*, ubi pecuniam condat, aut vestes.

V. 2. *Cimex*. *Araneus*. Cimicem pro lectulo, araneum pro angusta domo usurpavit.

Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente, 5
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis:
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni, 10
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole et frigore et esuritione.
Quare non tibi sit bene, ac beate? 15
A te sudor abest, abest saliva,
Muccusque, et mala pituita nasi.
Haec tu commoda tam beata, Furi.
Noli spernere, nec putare parvi:
Et sestertia, quae soles, precari 20
Centum desine: nam sat es beatus.

V. 6. *Lignea*, arida ligni instar macie confecta.
V. 8. *Pulchre*, bene digeritis.
V. 12. *Atqui*, praeterea.
V. 14. *Sole*, ob solem, frigus, et esuritionem.
V. 20. *Sestertia*. Centum sesterlia, iuxta Budaeum, sunt centena millia sestertiorum, quum singula sestertia valeant mille sestertiis nummis; quam pecuniae summam duo millia et quinquaginta *scutata* exaequant

CARMEN XVI.

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec saevi Boreae, aut Apeliotae:

Arg. Carm. XVI. *Interrogaverat Furius Catullum, cui vento eius villa opposita esset, sive in quam caeli regionem spectaret. Poeta ut erat festivo ingenio et ad iocandum parato, respondet, non vento, sed pignori oppositam esse, ob certam pecuniae summam.*

V. 1. *Austri*. Quatuor cardinales ventos memorat. *Auster* ventus est qui flat a meridie.
V. 2. *Opposita est*, obiecta. Iocatur in ambiguitate vocabuli *opposita*, quod significat etiam oppignerare.
» *Favoni*, ab occasu spirantis.
V. 3. *Boreae*. Aquilonis inter exortum aestivum et septentriones flantis.
» *Apeliotae*, qui ab oriente aequinoctiali spirat, et a Romanis nauticis, inquit Gellius, *subsolanus* nominatur.

Verum ad millia quindecim et ducentos.
O ventum horribilem atque pestilentem! 5

V. 4. *Ad quindecim*, etc. subandiendum. H. S. Haec autem summa tercentum et octogiata *scutat.* rom. conficit.

CARMEN XVII.

Minister vetuli, puer, Falerni,
Inger mî calices amariores,
Vt lex Posthumiae iubet magistrae,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite, lymphae, 5
Vini pernicies, et ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

Arg. Carm. XVII. *Cyathos meri vetustioris a minist. poscit.*

V. 1. *Minister.* Quem hic Poeta *ministrum* appellat, a Latinis dicitur etiam *puer ad cyatum*, et *servus a potione.*

» *Falerni. Falernum*, vinum a Campaniae agro sic dictum.

V. 2. *Inger* pro *ingere*, porrige.

» *Amariores*, mero annoso plenos, quod vetustate amaritiem quamdam contraxerit.

V. 3. *Posthumiae.* Mulieris nomen est convivio praefectae, seu *dictatricis*, ut vocat Plautus in *Persa*, quae scil. dictabat bibendi modum. Veteres talorum iactu sortiebantur, quis e convivis, quantum quisque vini biberet, praescripturus esset.

V. 4. *Ebriosa.* Indicat Catullus, Posthumiam illam convivii magistram vinolentam adeo fuisse, ut ipsos quoque acinos, succo turgentes, ebrietate superaret.

V. 7. *Thyonianus.* Nomen est Bacchi a Thyone ipsius matre; quae et Semele in fabulis appellatur.

CARMEN XVIII.

Pisonis comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis, et expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto

Arg. Carm. XVIII. *Verannii et Fabulli, et suam ipsius in sequendis praetoribus fortunam sinistram indignatur.*

V. 1. *Pisonis.* Cn. Calpurnium Pisonem in provinciam Hispaniam sequuti fuerunt Verannius et Fabullus.

» *Comites.* Comites magistratuum provinciis regentium erant legati, praefecti, quaestores, scribae, et reliqui qui cum magistratibus in provincias mittebantur.

» *Cohors*, comitatus miserabilis. Cohors aliquando pro familia et amicis magistratuum.

Vappa, frigoraque, et famem tulistis? 5
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? ut mihi, qui meum secutus
Praetorem, refero datum lucello.
Sed quantum video, pari fuistis
Casu. I *nunc*, pete nobiles amicos. 10
At vobis mala, multa Dii, Deaeque
Dent, opprobria Romuli Remique.

V. 5. *Vappa*, homine nihili.
V. 6. *Ecquidnam*, quodnam expensum apparet, legitur in codice accepti *(entrata)*, in quo lucrum scribi debuisset? Indicat in eorum tabulis nihil patere, praeter expensum.
V. 7. *Vt mihi*, scil. accidit.
V. 8 *Praetorem*, C. scil. Memmium, quem in Bithyniam secutus fuerat.
» *Refero*, in tabulis accepti scripsi expensum pro lucro.
V. 11. *Vobis*. Vobis quidem, o praetores huiusmodi, amicis inutiles, qui Romanis omnibus, ipsisque adeo Vrbis fundatoribus estis dedecori.

CARMEN XIX.

Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus,
Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi:
Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfidè.
Nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent,
Quae tu negligis, ac me miserum deseris in malis. 5
Eheu! quid faciant dehinc homines, quoive habeant fi-
Certe tute iubebas animam tradere, inique, me (dem?
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque,
Ventos irrita ferre, et nebulas aerias sinis. 10
Si tu oblitus es, at Dii meminerunt, meminit Fides;
Quae, te ut poeniteat postmodo facti, faciet, tui.

Arg. Carm. XIX. *Alphenum Varum* (de quo Horatius sat. 3. l. 1.) *iurisconsultum, sodalem suum, acriter obiurgat, quod promissis non steterit, ac fidem sibi datam violaverit. Fortasse Alphenus causam Catulli aliquam defendendam susceperat, et postea praevaricatus fuerat.*

V. 4. *Fallacum*, pro *fallacium*.
V. 7. *Iubebas*, cogebas.
» *Animam tradere*, me totum, meaque omnia tuae fidei credere.
V. 8. *Inducens*, impellens ad te amandum.
V. 11. *Fides*, quae divinis honoribus apud Romanos colebatur.

CARMEN XX.

Peninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque laetus inviso!
Vix mî ipse credens Thyniam atque Bithynos 5
Liquisse campos, et videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi, venimus larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto. 10
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete vosque, Lydiae lacus undae.
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

Arg. Carm. XX. *E Bithynia hilariter domum suam se recipiens, Sirmionem, peninsulam amoenissimam, salutat.*

V. 1. *Sirmio*, peninsula in lacu Benaci, *Lago di Garda*, in agro Veronensi. Ibi non solum agros villamque commodam Catullus possedisse videtur, sed et totius peninsulae dominus fuisse.

V. 2. *Ocelle*, quae pulcherrima, carissima ex omnium peninsularum. Quae magno aestimabant, ea *oculos* et *ocellos* Antiqui vocabant.

V. 3. *Fert*, habet.

» *Vterque Neptunus*, mare superum et inferum significat. Alii marinum et palustrem Neptunum intelligunt, alterum scil. mari, lacubus alterum et aquis dulcibus imperitantem.

V. 5. *Thyniam*. Bityniae finitimam regionem.

V. 8. *Peregrino* laboribus, quos in exteris regionibus sustinuimus.

V. 11. *Hoc est*, hoc unum praeminum est, quod retuli pro tot ac tantis molestiis.

V. 12. *Hero*, qui sospes domum revenit.

V. 13. *Lydiae*. Lacus Benaci undas *Lydias* Catullus appellat, quoniam is in Veronensi agro situs est. Verona pertinet ad Rhaetos; Rhaeti a Tuscis oriundi; Tusci a Lydis ex Maeonia.

V. 14. *Ridete* etc. Ridete maximum risum et effusum.

» *Cachinnus* usurpatur pro fremitu fluctuum marinorum, de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 257. Lacus autem Benacus maris instar fremit. Ital. *Tripudiate pur, con quanta forza mai avete.*

Digitized by Google

CARMEN XXI.

Dianae sumus in fide
Puellae, et pueri integri;
Dianam pueri integri,
Puellaeque canamus.
O Latonia, maximi 5
Magna progenies Iovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam,
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium, 10
Saltunmque reconditorum,
Amniumque sonantum,
Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, et notho es 15
Dicta lumine Luna.
Tu cursu, Dea, menstruo
Metiens iter annuum,

Arg. Carm. XXI *Ludis saecularibus pueri puellaeque Apollinis ac Dianae laudes canere consueverant. In eum igitur usum hymnus hic factus est, quo Dianae laudes continentur.*

V. 5. *Latonia*, o Diana. Latona enim ex Iove Dianam et Apollinem peperit.

V. 8. *Deposivit*, pro deposuit. Apollinem prope palmam, Dianam apud oleam, illum in Delo, hanc in Ortygia a matre Latona editam, Hymno in Apollinem scribit Homerus: ubi Ortygiam a Delo manifeste distinguit; Delum olim Ortygiam vocatam admonet Strabo; Ortygiam, Delum vocat etiam Ovidius; Tacitus aliique aperte distinguunt. Nec minus habet dubitationis, ad quam arborem Latona pepererit. Catullus hic olivam nominat; in eadem sententia sunt Strabo, et Hyginus. At palmam, ait Plinius, in Delo Apollinis et Dianae natalibus nobilem conspici: idque alii comprobant. Quaestionem solvit Aelianus, qui narrat, Latonam parturientem, altera manu oleam, altera palmam apprehendisse.

V. 9. *Domina*. Diana venationum Dea est, et montium, silvarum saltuumque abditorum praeses, et fluminum.

V. 13. *Lucina*. Iuno a *iurando*. Lucina, quae eadem est, ac Luna, *a lucendo* est dicta, quod partum in lucem edat.

V. 15. *Trivia*. Eadem enim est cum Hecate, quae in triviis celebatur. Non solum *Trivia*, sed et *triformis* dicebatur; nimirum in caelo *Luna*, in terris *Diana*, apud inferos *Hecate*, sive Proserpina.

» *Notho*, lumine alieno, non tuo. Nam lumen, quo Luna fulget, a Sole proficiscitur.

V. 17. *Menstruo*, tu complens menstruo spatio annuum cursum.

Digitized by Google

Rustica agricolae bonis
Tecta frugibus exples. 20
Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Ancique, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

V. 23 *Ancique*, optimi regis, qui post Romulum alter quasi urbis conditor habitus est.

CARMEN XXII.

Poetae tenero, meo sodali,
Velim Caecilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi moenia, Larinmque litus:
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare si sapiet, viam vorabit.

Arg. Carm. XXII. *Caecilium poetam, sodalem suum. Novocomo rogatu amici communis Veronam arcessit.*

V. 2. *Caecilio.* Quis fuerit Caecilius iste, Catulli amicus ignotum est.
» *Papyre.* Chartam suam alloquitur, e papyro confectam. Est autem papyrus frutex Aegyptiacus.

V. 3. 4. *Novi Comi.* Novum Comum, quod et Novocomum dicitur, oppidum Insubriae ad Larium lacum. *Lago di Como.*

CARMEN XXIII.

Male est, Cornifici, tuo Catullo:
Male est mehercule, et laboriose:
Magisque, et magis in dies et horas.
Quem tu, quod minimum facillimumque est,
Qua solatus es adlocutione? 5
Irascor tibi. Sic meos amores?

Arg. Carm. XXIII. *Conqueritur de Cornificio, quod se moerore confectum ob mortem carissimi fratris, nullo sermone, vel tenui admodum et ieiuno, solatus esset.*

V. 1. *Cornifici.* Cornificius hic poeta fuit, elegiarum scriptor, cuius meminit Ovidius l. 2. Trist. Hunc adversarium Virgilii eiusque laudum obtrectatorem fuisse ferunt.
V. 6. *Sic meos amores?* seu contemnis

Paullum quidlibet adlocutionis
Moestius lacrimis Simonideis.

V. 7. *Quidlibet.* Subaudi *satis fuerat.*

V. 8. *Simonideis.* Quum Simonides unus e novem poetis Lyricis, qui apud Graecos floruerunt, in rebus lugubribus carmine describendis mirum in modum excelluerit, suspicari propterea possumus, Catullum a sodali Cornificio Elegiam aliquam, vel flebile aliud carmen optavisse, quod dolori suo mederetur.

CARMEN XXIV.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque: si ad rei ventum est
Subsellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille: si pii ad rogum filî
Lugetur, orba quum flet unicum mater, 5
Renidet ille: quidquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet. Hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs, 10
Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,

Arg. Carm. XXIV. *Egnatium temere ubique ridentem, quo dentium candorem ostentaret, naso suspendit.*

V. 2. *Renidet. Renidere* proprie videtur esse hilarem et placidum se praebere, ac modico risu labia diducere.

V. 2. *Si ad rei.* Si rei alicuius iudicio interesit, tamquam advocatus in reorum subsellis consideus.

V. 6. *Quidquid est*, quamcumque ipse personam gerit: vel quidquid novi in urbe acciderit.

V. 10. *Si urbanus.* Etiam si oriundus esses ex aliqua earum gentium, quae sibi dentium candorem sine ulla spurcitia comparant, tamen ita frequenter ac nulla occasione eos retegere, ineptum esset. Quanto igitur id ineptius est, quum originem ex ea gente hominum ducas, quae sibi non horret quotidie urina confricare gingivas ut dentes efficiat candidos? *Urbanus*, i. e. *Romanus.*

» *Sabinus*, quem nimius risus propterea quoque dedecuisset, quod Sabini tristitia et severitate insignes erant.

V. 10. *Tiburs.* Illustris fama fuit apud veteres, aeri Tiburtino eam facultatem inesse, quae rebus candorem conciliare posset. Fortasse igitur Tiburtinorum mentionem iniicit, quod candidos dentes habereut.

V. 11. *Porcus*, voluptatibus deditus.

» *Obesus*, e copiosis videlicet frequentibusque sacrificiorum epulis, quibus ea gens plurimum dedita fuisse dicitur.

V. 12. *Lanuvinus.* Lanuvium Latii oppidum ad viam Appiam.

V. 13. *Transpadanus*, ex iis qui trans Padum habitant; quos Transpadanos communi nomine appellabant Romani. Verona Catulli patria Transpadana est.

Aut quilibet, qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere usquequaque te nollem: 15
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingivam.
Vt quo iste vester expolitior dens est, 20
Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

V. 17. *Celtiber.* Celtiberi, Hispaniae populi ad Iberum flumen siti. *Aragonesi.*

CARMEN XXV.

Quaenam te mala mens, miselle Ravide,
Agit praecipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora vulgi? 5
Quid vis? qualubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem *molestus usque*
Cum longa *mihi pergis esse* poena.

Arg. Carm. XXV. *Ravido cuidam, si pergat sibi molestiam afferre, iamborum acerbitate insolentiam eius ulturum minatur.*

V. 1. *Ravide.* Versus hypermeter, cuius postrema syllaba eliditur a vocali, unde incipit versus qui proxime sequitur.

V. 3. *Non bene advocatus;* non rite invocatus; adeoque tibi iratus. A Diis enim iratis mala consilia Veteres immitti putabant.

V. 4. *Parat,* vult te.

V. 5. *Pervenias in ora vulgi.* An hoc facis ut vulgus de te loquatur?

V. 6. *Qualubet,* quacumque ratione, vel per famam, vel per infamiam.

V. 8. *Cum longa... poena.* Tamdiu enim ab hominibus derideberis, tuaeque temeritatis poenas dabis, quamdiu mea in te carmina legentur.

CARMEN XXVI.

O Funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum laedere; at quibus cordi est,

Arg. Carm. XXVI. *Fundo suo gratias agit, in quo gravedinem e frigidissima Sextii oratione contractam, vacatione a negotiis, accurataque victus ratione deputerat.*

V. 1. *Seu Sabine.* Erat videlicet fundus hic in utriusque regionis confinio; ideoque, utrius esset, ambigebatur.

V. 2.-3. *Quibus non est cordi.* Ti-

Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed seu Sabino, sive verius Tiburs, 5
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expuli tussim:
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit, coenas.
Nam, Sextianus dum volo esse conviva, 10
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiae legit.
Hic me gravedo frigida, et frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me recuravi otioque, et urtica. 15
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulte peccatum.
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sexti recepso, quin gravediuem, et tussim,
Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus, 20
Qui tunc vocat me, quum malum legit librum.

burtinae regionis summa amoenitas fuit, itaque magno in pretio erant Tiburtina praedia, quo fit ut Catullus fundum suum dicat, ab iis qui sibi gratificari velint, Tiburtem, Sabinum ab aliis nominari: ad dignitatem enim fundi putabat pertinere, ut Tiburs potius, quam Sab[illegible] diceretur.

V. 8. *Venas*[illegible]a edacitas, et exquisitiorum epularum appetitus.

V. 10. *Sextianus*, dum apud Sextium caenare cupio.

V. 11. *Petitorem*. Existimat Vossius, Antium istum fuisse C. Antium Restionem, qui legem tulit sumtuariam, et qui proscriptus a triumviris anno V. C. 711., mira servi fidelitate evasit, testibus Macrobio et Appiano Alexandrino. *Petitor* porro dicebatur qui in veste candida magistratum a populo petebat. Fortasse hic idem est ac competitor.

V. 12. *Plenam veneni*. Ineptissimam, et cicuta frigidiorem, quae convivas omnes, tamquam pestilenti sidere afflatos, vel occidere posset.

V. 13. *Gravedo*, ital. *raffreddamento di testa*, *catarro*.

» *Frigida*, a frigore orta, scil. a frigida Sextii oratione.

V. 17. *Vlte*. Casus vocandi pro recto; referturque ad fundum, quem Poeta alloquitur.

V. 18. *Deprecor*, recuso.

V. 19. *Recepso*, antique pro *recepero*. Nec recuso, quin, si rursus auditurus sim ineptas Sextii orationes, frigus scil. orationis afferat gravedinem et tussim, non tamen mihi, sed Sextio ipsi.

CARMEN XXVII

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam caeli furor aequinoctialis
Iucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicaeaeque ager uber aestuosae. 5
Ad claras Asiae volemus urbes.
Iam mens praetrepidans avet vagari;
Iam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos, 10
Diversos variae viae reportant.

Arg. Carm. XXVII. *Iturus in Asiam proprie dictam, Phrygiae maiori ac Bithyniae valedicit.*

V. 2. *Furor*, furentes venti, qui sub aequinoctium veruum flare solent vehementius.

V. 3. *Iucundis*, zephyro ab occasu aequinoctiali blande spirante.

V. 4. *Phrygii.* Aetate Catulli Bithynia erat pars Phrygiae maioris. In Bithyniam vero profectus erat Catullus, Memmium praetorem secutus.

V. 5. *Nicaeae.* Nicaea, metropolis Bithyniae, ad Ascanium lacum circumiacet, magna planities, et admodum foecunda, sed per aestatem minus salubris. Ex Strab.

V. 6. *Asiae.* De Asia Romanis hoc nomine proprie dicto, quae Hellespontum, Aeolidem, Ioniam, Cariam, Lydiam, Phrygiam minorem comprehendebat, potissimum Catullus loqui videtur. Nobiliores Asiae civitates commemorat Cic. Agrar. 2. c. 15. scil. Pergamum, Smirnam, Tralles, Ephesum, Miletum, Cyzicum.

» *Ad claras... urbes*, Troiam inter ceteras; quo ad inferias fratri solvendas profectus est.

V. 7. *Praetrepidans*, festinans.

V. 11. *Diversos*, alios ab aliis seiunctos.

CARMEN XXVIII.

Porci et Socration, duae sinistrae
Pisonis, scabies famesque Memmî;
Vos Veranniolo meo et Fabullo

Arg. Carm. XXVIII. *Catullus cum homines nequissimos Porcium et Socrationem a Pisone bene et laute haberi videret, Veranniolum vero et Fabullum prorsus negligi, animi sui indignationem declarat.*

V. 1.-2. *Duae sinistrae Pisonis*, Queis Piso egregie in aliorum surripiendis bonis utebatur.

V. 2. *Scabies* etc. Eo usque infami Memmii avaritiae inservire studebant; ut scabiem ac famem istius in semetipsis referri viderentur

Foedus praeposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumtuose 5
De die facitis: mei sodales
Quaerunt in triviis vocationes?

V. 4. *Priapus*. Pisonem intellige.
V. 7. *Vocationes* sunt invitationes ad coenam. Hinc servi ad coenam invitantes, dicti sunt *vocatores*.
V. .. *In triviis*. Respicit fortasse coenam Hecatae, quae sub initium cuiusque mensis a ditioribus in triviis pauperibus diripienda proponebatur.

CARMEN XXIX.

Disertissime Romuli nepotum
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta: 5
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Arg. Carm. XXIX. *M. Tullio Ciceroni gratias agit; sed quamobrem agat, longinqui temporis vitio minus compertum est*

CARMEN XXX.

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Vt convenerat esse: delicatos
Scribens versiculos uterque nostrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc, 5
Reddens mutua per iocum, atque vinum.
Atque illinc abii tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Vt nec me miserum cibus iuvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos: 10
Sed toto indomitus furore lecto

Arg. Carm. XXX. *Se ita familiaritatem et convictum Licinii deperire, ut aegre admodum ab eo divelli possit.*

V. 2. *Lusimus*, notavimus multa in meis pugillaribus ligneis, sive ceratis tabulis.
V. 3. *Ut convenerat*, in eo loco, ad quem alter alteri condixeramus.
V. 3. *Ut* pro *ubi*.
V. 11. *Indomitus*, non domitus a somno, ob furorem, sive animi aestum, quo incensus.

Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait haec, manusque tollens :
Dii magni, salaputium disertum ! 5

et in accusando praesertim vehementissimus. Accusavit porro Vatinium de ambitu.

V. 5. *Salaputium.* Festivissima conclusio huius epigrammatis tota versatur in hac voce. Nam quum esset Calvus staturae perexiguae, ille de corona, qui admiratus est Calvum recitantem, revera ac serio putavit, Calvum esse puerum, non virum. Itaque erupit in exclamationem, in quam solebant nutrices, quum plausu pueros exciperent : o festivissimum, o lepidissimum salaputium.

CARMEN XXXIII.

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres ubi sint tuae tenebrae.
Te campo quaesivimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo superi Iovis sacrato, 5
In Magni simul ambulatione.
Sed te iam ferre Herculei labos est;
Tanto te in fastu negas, amice.
Dic nobis, ubi sis futurus : ede hoc
Audacter, committe, crede luci. 10

Arg. Carm. XXXIII. *Ait, se Camerium quaeritando esse iam defessum, rogatque, ubi tandem locorum conveniri velit.*

V. 1. *Oramus, si forte.* Catullus hoc Epigrammate, contra leges hendecasillabi, studiose numeros graves ac tardius incedentes consectatur, saepiusque spondaeum pro dactylo in secunda sede collocat: nimiam videlicet lassitudinem, quam circumeundo contraxerat, ipso genere versus exprimere cupiens.

V. 3. *Campo... minore.* Campum minorem Catullus fortasse vocat Martium campum (nunc *Campo di Fiore*) prope Tiberim, ubi iuventus Romana vario ludorum genere exercebatur, comparatum scil. cum campo comitiorum, in quem populus ad suffragia ferenda conveniebat. Hunc enim oportuit appellari maiorem, quod in altero ludicra, in hoc seria gererentur. Alii Coelium campum designari volunt, in quo Circenses fieri solebant, quum Campus Martius diluvio Tiberis stagnabat.

V. 4. *In circo*, in circo scil. maximo, quem Tarquinius Priscus extruxit.

» *Te in*, litera *e* non elidit secundo loco, sed corripitur.

» *Libellis*, in omnibus tabernis librariis, ubi prostant libri venales.

V. 5. *Sacrato Iovis*, pro *sacrato Iovi*, more Graecorum.

V. 6. *In Magni.* In porticu Pompeiana, quam condidit Cn. Pompeius Magnus.

V. 7. *Herculei*, pro *Herculis*, quemadmodum *Achillei*, *Ulixei*, pro Achillis et Ulixis.

V. 8. *In*, vel redundat, vel usurpatur pro *cum*.

V. 10. *Audacter*, libere hoc indica.

Non custos si fingar ille Cretum,
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveae citaeque bigae.
Adde huc plumipedes, volatilesque, 15
Ventorumque simul require cursum,
Quos iunctos, cameri, mihi dicares:
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem te, mi amice, quaeritando. 20

V. 11. *Non.* Subaudiendum est, te invenirem.

» *Si fingar*, etsi fierem alter Cretensium custos.

» *Custos... Cretum.* Talus nimirum gigas, quem aereo corpore fuisse fabulae memorant, dono vero datum a Iove raptae Europae, et in Cretam avectae, qui eius insulae custos foret, terque die totam circumiret. Porro custodes circumibant loca, quae ipsis custodienda data fuerant, unde *circitores* etiam appellati.

V. 12. *Pegaseo.* Non si me ferret Pegasus alatus equus.

V. 13. *Non Ladas.* Nobilissimus ille ac velocissimus cursor, in Olympico certamine saepe victor, qui tanta pedum velocitate fuisse traditur, ut nulla vestigiorum indicia in arena relinqueret.

V. 13. *Perseus*, qui, Polydecte iubente, ad occidendam Medusam iturus, a Mercurio talaria et Pegasum obtinuit.

V. 14. *Rhesi.* Subandi *si me vexerint*, aut, *si ego ipse sim.* Profecto aliquid desideratur, ex quo pendeat syntaxis. Rhesus Tracum rex, Troianorum auxiliarius, a Diomede interfectus, equos candore ac velocitate praecellentes habuit.

V. 15. *Plumipedes*, subaudi *equos.* Potest tamen vim substantiv. obtinere, ut, *sonipes*, *quadrupes*, et id genus alia.

V. 17. *Quos iunctos*, h. e. omnes si mihi concederes.

CARMEN XXXIV.

Num te leaena montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte
Tam mente dura procreavit, ac tetra,
Vt supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? O nimis fero corde! 5

Arg. Carm. XXXIV. *Duri cuiusdam amici perfidiam accusat.*

V. 2. *Scylla* Phorci filia, passim a poetis cum altera Scylla, Nisi filia, confunditur. Vid. Ovid. Met. lib. XIV.

V. 4. *Novissimo casu*, scilicet extremo et tristissimo.

CARMEN XXXV.

Collis o Heliconii
Cultor, Vraniae genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenaee Hymen,
Hymen, o Hymenaee: 5
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape: laetus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum: 10
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate taedam. 15
Namque Iulia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ed Phrygium Venus

Arg. Carm. XXXV. *Hoc nuptiali carmine, quod sane elegantissimum est, Poeta quum amico Manlio Iuliam Aurunculeiam uxorem ducenti gratum facere studet, tum ea quae ad veteres connubiorum ritus cognoscendos maxime pertinent, miro quodam lepore persequitur.*

V. 2. *Vraniae genus.* Proles Vraniae, quem ex Baccho peperit.

V. 3. *Rapis.* Rapi simulatur virgo, ait Festus Pompeius, ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit. Quo instituto Romani veteres pudori virginum consulere voluerunt, quasi nimirum invitae nuberent, et a domo parentum discederent.

V. 4. *Hymen* nuptiarum praeses. Haec cani solebant, quum in domum viri nova nupta deduceretur.

V. 8. *Flammeum.* Erat flammeum tenuis pannus, sive velamen lutei coloris, quo novae nuptae caput obtegebatur ad pudorem indicandum.

V. 12. *Nuptialia*, quod Graeci *Epithalamion*, Latini nuptiale carmen dicunt.

V. 13. *Tinnula* acuta.

V. 14. *Pelle humum pedibus*, salta.

V. 15. *Pineam.* Facem ex pinu in nuptiis adhiberi solitam ostendunt Virg. l. 7. Ovid. 2. Fasl. et Nonius Marcellus in verbo *Fax*, et alibi. Facibus utebantur veteres in nuptiis, quia sub noctem coniugia ineibant. Praeferebantur per pueros matrimos et patrimos.

V. 17. *Qualis.* Hoc loco id Catullo propositum est, ut non solum Iuliae formam cum forma Veneris comparet, verum etiam significet, bonis avibus nubere Iuliam, videlicet viro suo placituram, et cum eo mira animi concordia toto aetatis tempore victuram.

Iudicem, bona cum bona
Nubit alite virgo: 20
Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades deae
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore. 25
Quare age, huc aditum ferens
Perge linquere Thespiae
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe: 30
Ac domum dominam voca
Coniugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Vt tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans. 35
Vos item simul integrae
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: o Hymenaee Hymen.
Hymen o Hymenaee. 40

V. 20. *Bona alite*, felici augurio.

V. 21. *Velut*, qualis myrtus Asiatica, qua in regione arbor haec felicissime provenit.

V. 24. *Ludicrum*, voluptatis caussa. Rem voluptatis plenam. *Ludicrum* significat non ludi genus aliquod, sed locum ipsum, lusui aptum, et myrtis coronatum: videlicet Nymphaeum, seu balneum et lavacrum nympharum Hamadriadum, quas huiusmodi arbusculis mirifico delectari fabulosa existimavit Antiquitas.

V. 26. *Aditum ferens*, huc veniens.

V. 27.-28. *Thespiae rupis*, montis Heliconii. Thespiae, oppidum est Heliconi proximum.

V. 28. *Specus*, antra Musarum.

V. 29. *Lympha quos*, e quorum fornice ac lateribus grandes depluunt guttae, quae collectae fontem Aganippen efficiunt.

V. 31. *Dominam*, matronam videlicet, matremfamilias, a viro coemtam, quemadmodum et mulier dote data vicissim virum coemebat: qua ratione iustae ac legitimae nuptiae a Quiritibus contrahebantur. De his plura veteres Iuriscousulti. Constat veteri lege, nubentes tres asses ad maritum venientes solere pervehere, atque unum, quem in manu tenerent, tamquam emendi causa marito dare: hinc domina uxor dicta videtur, quasi mulier sibi emat virum. Hinc Catullus, *voca dominam*, quasi eam, quae materfamilias sit futura.

V. 36. *Vos item*. Vos etiam puellae innuptae, quibus iustae similis dies nuptiarum, quae nunc novam nuptam comitamini, in numerum, canite. Pueri et puellae in nuptiis adhiberi solebant, ex quibus chorus constabat.

Digitized by Google

Quis Deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Caelitum? o Hymenaee Hymen
Hymen, o Hymenaee. 45
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe iungier; at potest
Te volente. Quis, huic Deo
Compararier ausit? 50
Quae tuis careat sacris,
Non queat dare praesides
Terra finibus: at queat,
Te volente. Quis huic Deo
Compararier ausit? 55
Claustra pandite ianuae;
Virgo adest. Viden' ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta. 60
Tardet ingenuus pudor:
Quae tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta, 65
Flere desine: non tibi,

V. 48. *Stirpe inngier*, id est nec transmittere ad liberos hereditatem, quia ex non iusta coniugio susceptus; est peregrinae conditionis. Peregrinus autem nihil capit de bonis civis Romani. At suus heres, quum immiscet se hereditati, continuat ius patris sui potius, quam patri succedit.

V. 51. *Quae tuis*, populus, cui tua sacra sint interdicta, non potest dare magistratus qui provinciis praesint: poterit tamen dare, si tu velis. Solebant olim Romani populis, quibuscum pacem haberent, aut bellum gererent, prout bene vel male de ipsis meriti fuissent, ius connubiorum concedere praemii loco, vel iis vicissim multare; ut apud Livium videre est lib. 9. Videtur igitur Catullus hosce populos, qui iusti matrimonii contrahendi potestate identidem spoliabantur, hic significare voluisse, qui propterea magistratus dare non poterant, quibus una cum connubiis spoliabantur.

V. 57.-58. *Faces... quatiunt comas.* Summum flammae apicem *comam* appellat. Quinque faces a pueris ante novam nuptam gestari solitas, auctor est Plutarchus quaest. 2.; quae, quum a pueris agitarentur, incentes comas vibrabant.

V. 61. *Tardet* pro *tardat*.

V. 62. *Tamen* pro *tandem*.

Aurunculeia, periculum est,
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem. 70
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta. 75
Prodeas, nova nupta, sis:
(Iam videtur), et audias
Nostra verba (viden'? faces
Aureas quatiunt comas);
Prodeas, nova nupta. 80
Tollite, o pueri, faces;
Flammeum videor venire.
Ite, concinite in modum:
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee. 85
En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quo tibicine serviat,
Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee. 90
Vsque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.

V. 67. *Aurunculeia.* Aurunculeii Romae nobiles fuerunt, et curules magistratus non semel gesserunt.

V. 76. *Sis*, si tibi placet.

V. 81. *Tollite* pro attollite.

V. 86. *En tibi.* Ecce tibi ut nobilis et dives est domus tui coniugis, cui columnae incumbens tuis obtemperet nutibus (o Hymenaee Hymen, o Hymen Hymenaee) donec cana senectus tremore tibi caput agitans quacumque in re videatur omnibus annuere. Gratulatur Iuliae, quod nobilem ac divitem Manlii domum ingressura sit.

V. 88. *Tibicine.* Donec ratio magis idonea corruptissimum hunc sanandi locum sese ostendat, Vossii lectionem interea sequimur. Iosephus Scaliger malebat legere: *Quae tibi sene serviat*; ut *sene* dixerit Catullus pro *seni*: nomine autem *senis*, *anum* significare voluerit. Sed haec Scaligeri lectio iure ac merito frigidior Vossio visa est. Quamquam et ea, quam ipse affert, genio carere videatur. *Tibicen* hic fuerit *fulcrum*, *tignum columna*, cui domus incumbit.

V. 92. *Tempus*, pro parte capitis.

V. 93. *Annuit.* Tremore capitis videtur omnibus annuere.

Io Hymen Hymenaee io,
Io Hymen Hymenaee. 95
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenaee io
Io Hymen Hymenaee. 100
Torquatus, volo, parvulus
Matris e gremio suae
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello. 105
Sit suo similis patri
Manlio, et facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore. 110
Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo. 115
Claudite ostia, virgines:
Lusimus satis. At, boni
Coniuges, bene vivite:
Vosque Dii faciant, rogo,
Pulchra prole parentes. 120

V. 96. *Transfer*, fer trans limen *coniugis tui.*

» *Transfer*, monet Poeta Iuliam, ne limen pedibus calcet, sed se trans illud manibus puerorum ferri sinat, eo intacto: ut scilicet iuvita nubere videatur, nec libenti animo mariti domum ingredi: vel quod novae nuptae religioni ducerent, limen domus, Vestae consecratum, pedibus conterere: vel denique ut sagarum et malificorum superstitiones vitaret, ne forte aliquid magicum limini subesset, cuius vi coniuges laederentur, aut discordiae inter illos existerent.

V. 98. *Rasilem*, e ligno affabre polito.

V. 101. *Torquatus*, Torquatorum familia inter romanas fuit clarissima, ex qua Manlius, cui Poeta optat, ut Iulia puerum pariat.

V. 111. *Talis.* Talis gloria commendabilem reddat illius *Torquatuli* originem, in eum derivata ab honesta genitrice, qualis in aevum perdurat singularis laus Telemachi Penelopes filii, ab honestissima matre *in eum profecta.*

Digitized by Google

CARMEN XXXVI.

IVVENES

Vesper adest, iuvenes, consurgite, vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas:
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee. 5

PVELLAE

Cernitis innuptae, iuvenes? consurgite contra,
Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.
Sic certe, viden'ut perniciter exsiluere?
Non temere exsiluere: canent quod visere par est.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee. 10

IVVENES

Non facilis nobis, aequales, palma parata est:
Aspicite, innuptae secum ut meditata requirant.
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.
Nec mirum: tota penitus quae mente laborent.

Arg. Carm. XXXVI. *Iuvenum sponsi aequalium a mensa surgentium, et virginum novam nuptam ad mariti domum deducentium, alterni cantus.*

V. 1. *Vesper.* Stella, quae post Solis occasum apparet; cuius exortu novae nuptae in virorum domos deducebantur. Lege enim cautum erat, ne nuptiae, nisi noctu fierent.

» *Iuvenes*, quos novus maritus nuptiarum die convivio excepit.

» *Olympo.* Vel caelum intellige, ubi Dii sunt; vel Olympum Thessaliae montem, unde Sol Graecis occidere, et stellae oriri videbantur, quemadmodum et ex Oeta.

V. 3. *Mensas*, intellige nuptialem mensam, quam Graeci perinde ac Romani, iam inclinato in pomeridianum tempus die, in aedibus mariti apponere solebant, cuique assidebant, dum adveniret nova nupta. Occidente vero Sole, surgebant convivae, ac sponsae obviam ibant, uno marito excepto.

V. 4. *Virgo*, nova nupta.

V. 6. *Cernitis.* Puellae hic canere incipiunt. Est autem ordo syntaxeos: *Innuptae virgines, cernitisne iuvenes nobis obviam prodeuntes.*

V. 7. *Oetaeos*: vel quod ab Oeta Hesperum oriri putarent; vel quod Hespero et Hymenaeo mons Oeta sacer haberetur.

» *Noctifer*, Hesperus.

V. 8. *Perniciter*, celeriter e mensa surrexerunt.

V. 9. *Quod visere par est*, canent visu et spectatu digna.

V. 11. *Aequales*, eadem aetate.

V. 12. *Requirant*, in memoriam revocent quae ante summa cura meditatae sunt.

Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Iure igitur vincemur. Amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere iam incipient, iam respondere decebit:
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

PVELLAE

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis? 20
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam?
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

IVVENES

Hespere, qui caelo lucet iucundior ignis? 25
Qui desponsa tua firmes connubia flamma,
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor?
Quid datur a Divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee. 30

PVELLAE

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam.
Nempe tuo adventu vigilat custodia: semper
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem

IVVENES

Vt lubet innuptis ficto te carpere questu! 35
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

V. 15. *Nos alio*, ad alia mentes, ad alia aures intendimus. Vno enim tempore et quid puellae dicant, audimus, et quid respondendum sit cogitamus.

V. 17. *Committite*, coniungite mentes, ut saltem nunc unam tantum rem agamus.

V. 20. *Caelo fertur*, simul cum caelo. Motu enim caeli sidera omnia rapi, et in gyrum ferri, veteres physici existimarunt.

V. 21. *Crudelior*: quae stella te crudelior.

V. 32. *Nempe*. Ironice dictum.

» *Custodia*, custodes vigiles.

V. 34. *Mutato*. Lucifer enim mane appellatur, quem sero Hesperum vocant.

» *Comprendis*, deprehendis.

CARMEN XXXVII.

Peliaco quondam prognatae vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus, et fines Aeetaeos:
Quum lecti iuvenes, Argivae robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem, 5
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Caerula verrentes abiegnis aequora palmis:
Diva quibus, retinens in summis urbibus arces,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum;
Pinea coniungens inflexae texta carinae. 10
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor,

Arg. Carm. XXXVII. *Descripturus Pelei ac Thetidos nuptias orditur poema a notatione temporis, quo eae coniunctae fuerunt, quum videlicet Argonautae, duce Iasone, ad vellus aureum repetendum e Thessalia in Colchicam regionem profecti sunt. Qua in re suo quodam iure ab aliorum poetarum narratione discedit. Nam quo tempore profecti sunt Argonautae iam Thetidem duxerat Peleus, et Achillem ex ea susceperat. Deinde fabulam Ariadnae a Theseo in Naxo insula relictae, quam in pulvinari Thetidos acu pictam fuisse fingit, persequitur. Tandem ad propositum revertens, Parcarum vaticinium de Achille elegantissimis versibus exponit.*

V. 1. *Peliaco*, in summo iugo Pelii Thessaliae montis.

V. 3. *Phasidos*. Hic fluvius ex Armenia fluens, Colchida, Ponti regionem alluit.

» *Aeetaeos*, Colchida, ipsam, ubi tum Aeetes regnabat, Medeae pater.

V. 6. *Ausi*, quod difficilem, et nondum ad ea tempora susceptam navigationem primi tentaverint.

V. 8. *Quibus*, scil. iuvenibus Pallas ipsa, quae arcibus, altissimis urbium locis, praesidet, earumque tutelam habet.

V. 9. *Currum*, vehiculum marinum, navem.

V. 10. *Coniungens*. Minervam ipsam cum Argo manus operi admovisse aiunt Poetae.

» *Pinea... texta*, pineas trabes.

V. 11. *Cursu... imbuit*, navigationem docuit Amphitriten huiusce artis adhuc ignaram.

» *Amphitriten*, Neptuni uxorem, pro mari. Hic vero, ut Vossius animadvertit, non est mare quodlibet, sed Pontus Euxinus, importuosus, frequenti occursu scopulorum infestus, et ideirco ea tempestate intentatus. Hoc itaque Poeta significat, Argonautas, non primos fuisse, qui mare quodlibet traiecerint, primique omnium navigandi artem invenerint; antea enim Phoenices et Tyrii praecipue, atque a Tyriis profecti Cartaginienses navigaverant; sed omnium primos difficilem admodum navigationem suscepisse, ac periculosum mare, adhuc intentatum, sulcasse.

V. 12. *Rostro*. Rostrum in navibus dicebatur pars e prora prominens et acuta in modum rostri avium.

» *Ventosum*, ventis agitatum.

Tortaque remigio spumis incanuit unda,
Emersere feri candenti e gurgite vultus
Aequoreae monstrum Nereides admirantes: 15
Illaque, hautque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi praestanti corpore Nymphas.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit. 20
O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, Deûm genus! o bona mater!
Vos ego saepe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo, Peleu, taedis felicibus aucte.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine? 25
Tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quae simul optatae finito tempore luces
Vt venere, domum conventu tota frequentat
Thessalia: oppletur laetanti regia coetu: 30
Dona ferunt: prae se declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,

V. 13. *Tortaque*, remis percussa.

V. 15. *Monstrum*, rem inusitatam.

V. 16. *Hautque*, pro *haudque*; antique. Significat enim Poeta, illa tantum die, neque unquam in posterum, Nereidas ab hominibus fuisse conspectas.

V. 19. *Humanos*. Antea enim Iovis uxor fieri optaverat; quod, quum impetrare non potuisset, Pelei connubium non contemsit.

V. 20. *Pater ipse*, Nereus, Thetidis pater. Vel Iuppiter, qui a Prometheo deterritus, Thetidem Peleo nepoti suo ducendam concessit. Decreverat Iuppiter eam sibi uxorem adiungere. At Prometheus praedixit, fore ut filius ex eo coniugio generatus patri aliquando imperium eriperet.

V. 21. *O nimis*. Ingressurus ad c nendas Pelei nuptias, ceteros Arg nautas, ab eis digressurus, saluta eque eorum laudes celebraturum po licetur. - *O nimis*, o heroes, Divoru soboles geniti saeculorum aevo nimi optabili, felici.

V. 22. *Mater*. Thetidem, Achillis matrem futuram a Catullo significari putant nonnulli: Muretus, ipsam navem Argo: Vulpius Thessaliam, quae lectissimos illos iuvenes, Iasonis comites, in lucem protulerit.

V. 24. *Adeo*, et te praesertim, Peleu, cuius dignitas singularem in modum aucta est his nuptiis.

V. 25. *Neptunine*, pulcherrima natarum Neptuni.

V. 26. *Tethys*, Coeli et Terrae filia, Oceani soror, et coniux. Ex ea Doris, Neptuni sive Nerei coniux, Thetidis huius mater.

V. 27. *Mari*, aquis suis.

V. 29. *Tota*, maxima Thessalorum pars, novo marito et novae nuptae gratulantium, Pelei domum adit.

V. 31. *Prae se*, aperte.

V. 32. *Scyros*. Aegei maris insula, quae Thessalis Dolopibus olim paruit.

» *Tempe*. Haec Tempe, de quibus Catullus, non fuerunt in Thessalia proprie dicta, sed potius in Phthiotide, quae usque ad Thessalicos campos

Cranonisque domos, ac moenia Larissaea.
Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollescunt colla iuvencis: 35
Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono convellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram:
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit 40
Regia, fulgenti splendent auro atque argento
Candet ebur soliis, collucent pocula mensae.
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero Divae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum 45
Tincta tegit roseo conchylii purpura fuco.
Haec vestis, priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diae
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur 50
Indomitos in corde gerens Ariadna furores:
Necdum etiam sese, quae visit, visere credit,
Vtpote fallaci quae tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at iuvenis fugiens pellit vada remis, 55
Irrita ventosae linquens promissa procellae:

olim porrigebatur, nomenque accepit a Phthia Achillis patria. Gemina igitur Tempe videtur extitisse: altera ad Sperchium, quae hic a Poeta memorentur; altera ad Peneum celeberrima.

V. 33. *Cranonisque*. Cranon, Thessaliae Pelasgiotidis oppidum fuit, in locis quae Tempe vocabantur.

» *Larissaea*. Larissa urbibus Thessaliae nobilioribus annumerata est.

V. 34. *Pharsaliam*, oppidum Phthiae vicinum, in quo Thetis Peleo nupta habitavit.

V. 37. *Convellit*, proscindit.

V. 40. *Ipsius at sedes*. Describit magnificentiam apparatus aedium Pelei.

» *Quacumque*, quam late patet regiae domus interior pars.

V. 42. *Soliis*, in sedibus.

V. 44. *Pulvinar*, lectus genio sacer.

V. 45. *Politum*, quem lectum ebore Indico elaboratum operit purpurea vestis murcis succo infecta. *Dens Indus*, est ebur detractum Indico elephanto. *Conchylium*, genus testacei piscis, ex quo sanies illa depromebatur, qua nobilium et magistratuum in primis vestes tingebantur.

V. 49. *Diae*, Naxi. In insula enim Naxo, una ex Cycladibus, Ariadnem a Theseo relictam plurimi tradunt scriptores, quae Dia etiam vocata fuit. Vossius tamen, Diam, de qua Catullus loquitur, Creteusem fuisse putat, cui magis conveniunt ea, de quibus infra conquéritur Ariadna. Diae Cretensis meminit Strabo lib. 10.

Quem procul ex alga moestis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis prospicit Evoe:
Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram, 60
Non contecta levi velatum pectus amictu;
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitrae, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu, 65
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piraei 70
Attigit iniusti regis Cortynia templa.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exsolvere caedis,
Electos iuvenes simul et decus innuptarum

V. 57. *Ex alga*, ex littore. Alga enim maritima erba est, quae ad litus eiicitur.

» *Minois*. Ariadna Minois Cretae Regis filia.

V. 58. *Evoe*, velut marmoreum simulacrum, quod mulierem Bacchi furore correptam, et *Evoe evoe* clamantem, exprimit.

V. 60. *Mitram*, tegumentum capitis muliebre, e tenuissimis filis contextum; ital. *la cuffia*.

V. 62. *Omnia quae*, mitram scil. et pectoris velamen.

V. 67. *Externavit*. Extra se posuit.

V. 68. *Erycina*, Venus ab Eryce Siciliae monte.

V. 70. *Piraei*. Poetice per anticipationem temporis. Aetate enim Thesei, et deinceps antequam Themistocles imperaret, *Piraeus* Athenis nomen erat vici; non portus aut navalis.

V. 71. *Iniusti*. Atheniensibus blandiri voluit, apud quos Minos male semper audivit, quod eorum urbem expugnavisset, ac malorum facinorum poenas in posterum dare coegisset.

V. 71. *Cortynia templa*. Cortyn, sive Gortyn, urbs in Creta.

» *Templa* pro *tecta*. Aedes enim regiae ob amplitudinem, maiestatem ac potentiam regum, *templa* vocabantur. Sed et Deorum templa iis adiuncta erant.

V. 72. *Peste*. Ipsum Deorum numen conspirasse cum Minoe ad ulciscendam caedem Androgei videbatur. Eodem enim tempore et bello, et fame, et pestilentia affligebantur Athenienses: responsumque est oraculo, non aliter ea desitura, quam si Minoi fieret satis.

V. 73. *Androgeoneae*. Athenienses et Megareuses Androgeum Minois regis filium, adolescentem fortissimum, circumventum occiderunt; eius virtuti invidentes, quod in sacris certaminibus victoriam saepius retulisset.

V. 74. *Electos*, vel quorum nomina sorte exiisseut, vel lectissima forma. Iusserat enim oraculum mitti pulcherrimos. *Decus innuptarum*, virgines eximio corpore. *Bis septenos pueros* fuisse, ait Isocrates in Helenae Laudatione. Septenos quotannis iuvenes, ac totidem puellas.

Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro. 75
Queis angusta malis quum moenia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proiicere optavit potius; quam talia Cretam
Funera Cecropiae ne-funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris 80
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo,
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum saepe magis fulgore expalluit auri!
Quum saevum cupiens contra contendere monstrum, 85
Aut mortem oppeteret Theseus; aut praemia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula Divis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum, 90
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens:
Sic domito saevum prostravit corpore Theseus,
Nequicquam vanis iactantem cornua ventis. 95
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo:
Ne labyrintheis e flexibus egredientem

V. 75. *Cecropiam*, Athenas, ita vocatas a rege Cecrope. Regionem Atticam.

» *Dapem*, sacrum epulum.

» *Minotauro*. Fuit hoc monstrum et taurina et humana specie mixtum. Hoc Labyrinthi Cretensis ambagibus a Daedalo inclusum Theseus clava confecit.

V. 76. *Angusta moenia*. Theseus enim Athenarum urbem, quae paucis vicis constabat, ampliorem fecit.

V. 78.-79. *Talia funera*, quam pati, ut in Cretam portarentur tales iuvenes, Athenis defleadi pro mortuis adhuc non mortui.

V. 79. *Ne-funera* pro *Non funera*.

V. 80. *Levi nitens*. Celeri navi sustentatus.

V. 82. *Virgo*. Ariadna.

V. 83. *Tacito . . . labello*. Neque enim audebat aperte pro Theseo vota facere, ne ipsa de se indicio esset patri. - Ne fraternae mortis desiderium proderet. - Ariadnes frater Minotaurus ex matre Pasiphe.

» *Suspendit*, concipit quidem sed pudore impedita revocat identidem, atque interrumpit.

V. 89. *Tauro*, Ciliciae monte.

» *Quatientem*, ramos agitantem vi ventorum impulsos.

V. 90. *Conigeram*, nuces pineas ferentem, quae coni figuram imitantur.

V. 91. *Robur*, Truncum impetu contorquens convellit.

V. 94. *Saevum*. Minotaurum.

V. 97. *Filo*, ut cum Ariadna monuerat.

Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego, a primo digressus carmine, plura 100
Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,
Vt consanguineae complexum, ut denique matris,
Quae misera gnati misero deperdita leto,
Omnibus his Thesei dulcem praeferret amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad littora Diae? 105
Aut ut eam tristi devinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore coniux?
Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces,
Ac tum praeruptos tristem conscendere montes, 110
Vnde aciem in pelagi vastos protenderet aestus:
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatae tollentem tegmina surae:
Atque haec extremis moestam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem: 115
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in littore, Theseu?
Siccine discedens, neglecto numine Divûm,
Immemor ah! devota domum periuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis 120
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miserae sperare iubebas,
Sed connubia laeta, sed optatos hymenaeos: 125
Quae cuncta aerii discerpunt irrita venti.

V. 99. *Inobservabilis*. Anfractus Labyrinthi Cretensis, a Daedalo aedificati, eiusmodi erant, ut neque servari oculis, nec retineri memoria possent.

V. 100. *A primo carmine*, a potissimo huius carminis argumento, scil. a celebrandis Pelei et Thetidos nuptiis.

V. 102. *Consanguineae*, Phedrae sororis.

» *Matris*, Pasiphaes.

V. 103. *Gnati*, vel Androgei a Thesei civibus occisi, vel Minotauri a Theseo ipso interfecti.

V. 103. *Deperdita*, exanimata erat.

V. 105. *Diae*, Naxi, vel Diae insulae Cretensis, de qua supra.

V. 107. *Coniux*, Theseus, qui Ariadnae coniugium perpetuum promiserat.

V. 113. *Tegmina surae*, tenues cothurnos tollentem, nudatis tibiis; vel tenues vestes, nudae tibiae tegumenta elevantem.

V. 118. *Numine*, Deorum potentia, per quos mihi fidem iurasti.

V. 119. *Devota*, execranda.

Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque 130
Praeda, neque iniecta tumulabor mortua terra.
Quae nam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia vita? 135
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quae tibi iucundo famularer serva labore.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris, 140
Externata malo? quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem prope iam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore saeva 145
Fors etiam nostris invidit questubus aures.
Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosio Cecropiae tetigissent littora puppes;
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem: 150

V. 127. *In medio*, le praesentissimo mortis periculo expositum servavi.

V. 128. *Germanum*, Minotaurum.

» *Crevi*, decrevi.

V. 134. *Syrtis*. Syrtes dicuntur duo sinus periculosissimi in mari Libyco, impares magnitudine, pari natura, quorum alterum Carthaginl propinquiorem, *minorem* vocant, alter, qui in Cyrenaicam regionem vergit, *maior* dicitur. Vtraque Syrtis navigantibus est periculosissima, quod ibi mare vadosum sit, limumque et arenae cumulus congerat, unde naves evadere vix ac ne vix quidem possint.

V. 134. *Scylla*, scopulus in freto Siculo, contra Charybdin, navigantibus infestus.

» *Charybdis*, vorago pessima, absorbens navigia.

V. 137. *Prisci*, antiqua severitate.

» *Parentis*, Aegei, quem verisimile est noluisse Theseum filium suum iniussu suo ducere uxorem.

V. 141. *Auctae*, praeditae a natura.

V. 143. *Ille*, Theseus.

V. 146. *Fors*, fortuna crudelis.

V. 148. *Gnosia*. Cretensia.

» *Cecropiae*, Athenienses.

V. 149. *Stipendia*, Tributum septem adolescentium, ac totidem virginum lectissimarum, quod Athenienses quotannis, ante expeditionem Thesei, Minotauro mittere cogebantur.

V. 150. *Perfidus*. Atheniensium omnium fidem incusare videtur, qui Androgeum Ariadnae fratrem proditione occiderant.

Nec malus hic, celans dulci crudelia forma
Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeniosne petam montes? ah gurgite lato
Discernens Ponti truculentum ubi dividit aequor. 155
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui,
Respersum iuvenem fraterna caede secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Praeterea nullo (litus solum) insula tecto: 160
Nec patet egressus, pelagi cingentibus undis.
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus, 165
Quam iustam a Divis exposcam prodita multam,
Caelestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare, facta virûm multantes vindice poena
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons exspirantes praeportat pectoris iras, 170
Huc huc adventate, meas audite querelas,

V. 154. *Idomeniosne.* Idomenii montes, ut Vossius docet, vocantur ab Idomene oppido. Fuerunt autem Idomenae duae: una quidem Ambraciae proxima, sita in duobus excelsis collibus: altera prope fines Thraciae, posita in montibus Bottiaeis, condita vero ab Idomeneo Cretensium duce, quo tempore ille in Macedoniam classe profectus est. Neque tamen necesse est, ut hoc loco montes aut colles intelligamus, in quibus Idomene fundata erat; sed cum tota ora maritima Macedoniae, una cum regione Chalcidica, in ditione Idomenei et Cretensium esset, possomus de Atho Macedoniae monte haec accipere, incredibili altitudine praedito, ac longe lateque porrecto, ut non solum totam oram maritimam Macedoniae, sed etiam partem Aegaei maris opacet, atque ab Asiae usque litore prospiciatur. *Idomenios* tetrasyllabon est. Alii habent *Idaeos*, idest Cretenses. Ida enim mons Cretae est.

V. 155. *Vbi*, cosne montes petam, quum latus ac metuendus Pontus interiectus ipsus dividat ab hac insula? *Pontus* hic, si Vossium audiamus, maris Deum significat, hoc nomine appellatum quemadmodum dicimus flumen Rheni, Nili, etc., de Diis vel Geniis loquendo, in quorum tutela ea flumina credebantur.

V. 156. *Quemne*, eiusne, quem ipsa deserui.

V. 159. *Quine*, eiusne, qui fugit incurvans in undis molles remos.

V. 160. *Nullo*, sine ulla domo est insula.

V. 166. *Multam*, hostimentum, talionem; ut par pari reddatur.

V. 168. *Facta*, scelera.

V. 169. *Eumenides.* Furiae tres, Alecto, Tisiphone, Megaera, quae improborum hominum scelera ulcisci credebantur.

Digitized by Google

Quas ego, vae miserae! extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
Quae quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum: 175
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, Deae, funestet seque suosque.
Has postquam maesto profudit pectore voces,
Supplicium saevis exposcens anxia factis:
Annuit invicto caelestum numine rector, 180
Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt
Aequora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem caeca mentem caligine Theseus
Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
Quae mandata prius constanti mente tenebat; 185
Dulcia nec moesto sustollens signa parenti,
Sospitem Erechtéum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi quum moenia Divae
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
Talia complexum iuveni mandata dedisse: 190
Gnate, mihi longa iucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremae nuper mihi fine senectae,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum 195
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunae signa secundae:
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra atque infuso pulvere foedans; 200
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostraeque incendia mentis,

V. 186. *Dulcia signa*, candida vela, quae procul visa iucunditatem Aegaeo parenti dedissent.

V. 187. *Erechtheum Portum*, Athenarum litus ab Erechtheo, antiquissimo Atheniensium rege, sic appellatum.

V. 188. *Divae*, Athenarum videlicet, quae urbs in tutela Paliadis erat.

V. 193. *Reddite*, quem peperit mihi iam seni Aethra Pittei filia. *Reddere* enim est *parere*.

V. 194. *Fortuna*, scil. adversa.

V. 198. *Signa*, quae fuissent vela candida.

V. 200. *Infuso*, insperso pulvere canos inficiens; quod pene omnes ad orientem populi in luctu solebant.

V. 202. *Incendia*, ardorem animi exulcerati.

Carbasus obscura dicat ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quae nostrum genus, ac sedes defendere Erechthei 205
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram:
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Haec vigeant Mandata, nec ulla obliteret aetas:
Vt, simul ac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennae deponant undique vestem, 210
Candidaque intorti sustollant vela rudentes:
Quamprimum cernens ut laeta gaudia mente
Agnoscam, quum te reducem aetas prospera sistet.
Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes 215
Aerium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Quum primum inflati conspexit lintea veli,
Praecipitem seso scopulorum e vertice iecit, 220
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus; qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quae tamen adspectans cedentem moesta carinam, 225
Multiplices animo volvebat saucia curas.

V. 203. *Ferrugine*, purpura nigricanti.

» *Hibera*, non Hispana quidem, sed ex Hiberia, mediterranea minoris Asiae regione.

V. 204. *Incola*, habitatrix sacri Itoni, scil. Minerva.

» *Itoni*, Itonus, sive Itone, Thessaliae oppidum fuit, in quo Minervae templum celeberrimum. Ex hoc oppido Minervae cultum Athenienses acceperunt.

V. 205. *Sedes Erechthei*, Athenas, ab Erechtheo antiquissimo rege, qui alio nomine Erichthonius dictus fuit.

V. 212. *Gaudia*, ut laeto animo agnoscam gaudiorum caussam; scil. filii salutem et de Minotauro victoriam.

V. 213. *Sistet*, te reducet.

V. 214. *Haec mandata*. Ita inquit, liquere haec mandata Theseum, ut montis cacumen linquere impulsae a vento nubes solent.

V. 217. *Vt prospectum . . . petebat*, quum late prospiceret ex Cecropia, Athenarum arce, in collibus aut scopulis mari impendentibus sita, sicubi filium redeuntem videret.

» *Lintea veli*, vela inflata, nigri coloris.

V. 220. *E vertice*, e Sunio, terrae Atticae promontorio.

V. 223. *Minoidi*, Ariadnae Minois filiae.

V. 225. *Quae*, Ariadna.

» *Cedentem*, longe abscedentem Thesei navem.

At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaso Satyrorum, et Nysigenis Silenis:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes, evoe, capita inflectentes. 230
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divulso raptabant membra iuvenco;
Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quae frustra cupiunt audire profani. 235
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant.
Multi raucisonos efflebant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris 240
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quae postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis coepit decedere Divis.
Ac qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephirus proclivas incitat undas, 245
Aurora exoriente, vagi sub lumina solis;

V. 227. *Parte ex alia*, ex alia parte vestis pictus erat Bacchus Ariadnam quaerens.

» *Volitabat*, celeri cursu in Diam insulam properabat, dum Ariadna de Thesei perfidia conquerebatur.

» *Iacchus*, unum e Bacchi cognominibus.

V. 228. *Thiaso*, choro.

» *Satyrorum*. Satyri, Panes, Fauni, Silvani, Silenus, Bacchi comites sunt.

» *Nysigenis*. Ita vocatos fuisse constat primores Nysae, Indicae urbis a Baccho expugnatae: hi enim, deleta patria, Bacchum secuti sunt. Ceterum Silenus Bacchi nutricius erat.

V. 229. *Lymphata*, perturbata.

V. 232. *E divulso*. Solebant enim Bacchantes interdum armenta discerpere, carnesque eorum crudas mandere.

V. 235. *Orgia*; ita vocabantur mysteria quaedam, quae, nisi ab initiatis, aut spectari, aut audiri fas non erat. In his occulta quaedam et mystica circumferri solebant, eaque vel cistis, inclusa (unde *mulieres cistophorae*), vel etiam, nonnullis festis diebus, palam exposita. In his erant Dei crepundia, poma, nuces pineae, speculum, vannus.

V. 236. *Plangebant*, percutiebant sublatis et extentis manibus.

V. 237. *Tereti . . . aere*, rotundo crotalo.

V. 238. *Efflebant cornua*, flebilem auribusque iucundum cornibus sonum edebant.

V. 239. *Barbara*, a Phrygibus inventa, qui Graecis barbari.

V. 242. *Pubes*. Multi enim a Thessalia venerant ad spectandum nuptiarum apparatum.

V. 243. *Decedere*. Diis advenientibus domum vacuam relinquere.

V. 245. *Horrificans*, crispum efficiens.

» *Proclivas*, antique, pro *proclives*.

Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt, leni et resonant plangore cachinni;
Post vento crescente magis magis increbrescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent: 250
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps e vertice Pelii
Advenit Chiron portans silvestria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis 255
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi foecunda Favonii,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus iucundo risit odore.
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe, 260
Tempe, quae silvae cingunt superimpendentes,
Mnemonidum, linquens, doctis celebranda choreis,
Non vacuus; namque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine laetanti platano, fletaque sorore 265
Flammati Phaetontis, et aeria cupressu:
Haec circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia poenae: 270

V. 247. *Clementi*, leni spiritu impulsae moventur, fragoremque tenuem cachinno, seu liberiori risui similem emittunt.

V. 253. *Princeps*, primus omnium.

» *Pelii*, celeberrimi Thessaliae montis.

V. 254. *Chiron*, Thessalus eques e Centaurorum genere, prudentiae ac doctrinae laude clarissimus, qui, ab hominum frequentia remotus montium ac silvarum solitudine delectabatur. Achillis praeceptor fuit.

V. 256. *Propter*, prope.

V. 259. *Permulsa*, delinita; laetata est regia suavi odore.

V. 260. *Peneos*, Thessaliae fluvius adest *Linquens Tempe, quae superimpendentes silvae cingunt, doctis Mnemonidum* (h. e. Musarum) *choreis celebranda, non vacuus* (non sine muneribus).

V. 263. *Platano*, Genio et Baccho, diis laetitiae datoribus, consecrata.

» *Fletaque sorore*, et lacrimis madente sorore, scil. *populo*, in quam arborem tradunt fabulae, Heliadas, Solis et Clymenes filias, dum fratrem Phaetontem, fulmine ab Iove ictum, ad Eridanum lugerent, miseratione Deorum fuisse conversas. Ex populi cortice electrum fluere, lacrimarum instar, sibi persuaserunt poetae.

V. 266. *Flammati*, fulgoriti.

V. 269. *Post hunc*, Penenm.

V. 270. *Extenuata*, pene deleta, in brachiis et cruribus signa veterum vinculorum, quibus ad Caucasum alligatus fuerat, quod Iovem in distribuendis carnibus decepisset; quod viros ac

Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit, pendens e verticibus praeruptis.
Inde pater Divûm, sancta cum coniuge, natisque,
Advenit caelo, te solum, Phoebe, relinquens,
Vnigenamque simul cultricem montibus Idri. 275
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis taedas voluit celebrare iugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Largae multiplici constructae sunt dape mensae.
Quum interea infirmo quatientes corpora motu, 280
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,
Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora:
Ambrosio niveae residebant vertice vittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem. 285
Laeva colum molli lana retinebat amictum:

mulieres effluxisset; quod ignem, a coelo clam surripuisset, eumque hominibus tradidisset. Solverat autem Iuppiter Prometheum e Caucasi rupibus, quod hic eum a Thetidis nuptiis deterruisset, obiecto metu filii, qui olim patri regnum et libertatem erepturus esset: qua de re superius diximus.

V. 273. *Coniuge*, Iunone.

V. 274. *Phoebe*. Ail, Apollinem et Dianam sororem eius nuptiali convivio non interfuisse. Apollo enim pro Troianis olim acriter pugnaturus, et Achillem Thetidis filium sagitta interfecturus erat.

V. 275. *Vnigenam*, Dianam uno partu cum Apolline a Latona editam.

» *Idri*. Idrus mons est Cariae, in quo plura oppida Phoebo et sorori eius consecrata.

V. 277. *Iugales*, coniugales.

V. 280. *Motu*, vel propter anilitatem, vel, quod caput et reliquum corpus iactare vaticinantium erat.

V. 282 *His*, subaudi *erat*.

» *Quercus*. Hoc autem accipiendum est, vel de veste picta, cui species quercus intexta fuerit; vel de vera quercu, seu quernis ramis, Parcarum corpora velantibus, qui ora purpurea ita incingerentur, quo pacto coronae limbis, fimbriis et lemniscis nonnumquam ornari solebant. Quercus arbor fuit fatidica, ut ex oraculo Iovis Dodonaeo praecipue manifestum est: idcirco Parcis Deabus fatidicis apprime conveniens.

V. 283. *Candida . . . Tyro*. Nympha pulcherrima, Salmonei filia, lanificii ac textrini scientissima.

» *Purpurea . . . ora*, limbo purpureo, qui talos operiret. Huiusmodi vestem Latini *praetextam* appellavere.

V. 284. *Ambrosio vertice*. *Ambrosios* Graecis est *immortalis*. Putabant veteres maximum vitae robur in capillis consistere: propterea morituri cuiuslibet comam Proserpinae forcipibus attonderi credebant. Immo in sacrificiis non ante iugulo victimae culter admovebatur, quam ex eius capite setae aliquot praeciderentur. Iure igitur optimo comae Deorum et Parcarum *ambrosiae* vocantur, utpote quae Mortis novaculae obnoxiae non essent.

V. 285. *Aeternum*, immutabile opus peragebant, quod fati essent ministrae.

V. 286. *Colum*. Cur colus et fusus Parcis tribuuntur? quod scil. lana colo circumvoluta futurum vitae tempus quae autem deducta iam et neta fuso imponitur, praeteritum: ipsa vero lanae migratio in fusum, filorumque for-

Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens, 290
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,
Quae prius in leni fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hae tum clarisona pellentes vellera voce, 295
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas:
O decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato:
Accipe quod laeta tibi pandunt luce sorores 300
Veridicum oraclum: sed vos, quae fata sequuntur,
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui, persaepe vago victor certamine cursus, 305
Flammea praevertet celeris vestigia cervae.

matio, praesens horae momentum significet.

V. 287. *Deducens*, attenuans.

» *Supinis*. Nullus umquam pictor, ait Muretus, nentes mulieres tam scienter expinxit. Exprimit enim mulierem, quae dum filum format, digitos supinos; dum vero fusum torquet, eosdem pronos habet.

V. 288. *Pollice*, dextera scil. Prono pollice torquens.

V. 289. *Libratum*, suspensum.

» *Tereti turbine*, rapida conversione, impetu versabat in orbem.

V. 290. *Opus*, filum.

V. 291. *Lanea morsa*, lanae villi morsu decerpti, ital. *lische strappate co' denti e morsecchiate*, quae decerptae mulierum labris haerere solent.

V. 292. *Fuerant extantia*, extiterant in tenui filo, antequam decerperentur.

V. 293. *Candentis*. Candidus lanae color, quum sermo est de Parcarum lanificio, felicem hominis vitam significat.

V. 294. *Custodibant*, pro custodiebant.

V. 295. *Pellentes*, impellentes.

» *Vellera*, fusos.

V. 297. *Perfidiae*, mendacii.

V. 298. *O decus*, o Peleu, qui a maioribus acceptam nobilitatem tuis ipse magnis virtutibus cumulas.

V. 299. *Emathiae*, tutela terrae Thessaliae, quae olim Emathia vocata fuit.

» *Nato*. Loquuntur Parcae de Achille in lucem olim proditurо, tamquam de genito.

V. 302. *Ducentes*, ital. *affrettatevi a torcere*.

V. 302. *Subtemina*. *Subtemen* filum est, quod stamini radio textoris inseritur. Persius et Plinius *tramam* appellant.

V. 303. *Certamine*, Pedum celeritatem Homerus Achilli peculiariter tribuit.

V. 306. *Flammea vestigia*, velocissimos pedes. Nihil enim flamma concitatius.

Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Quum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi,
Troicaque obsidens longinquo moenia bello 310
Periuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Illius egregias virtutes, claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres:
Quum in cinerem canos solvent a vertice crines, 315
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Namque velut densas prosternens messor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro. 320
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quoius iter caesis angustans corporum acervis,
Alta tepefaciet permixta flumina caede. 325
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Denique testis erit morti quoque reddita praeda:

V. 308. *Non quisquam heros.* Frustra enim Cygnus, ac Telephus, atque Hector ipse Troianorum fortissimus, cum Achille pedem contulerunt. Diomedes etiam, Aiaces duo, Menelaus, Vlyxes, Agamemnon Achilli de militari virtute concesserunt.

V. 309. *Phrygii rivi*, Xantus et Simois.

V. 310. *Longinquo*, diuturno, utpote in decimum annum protracto.

V. 311. *Periuri.* Nam Pelops Myrtilo, Oenomai aurigae, multa pollicitus, si se in certamine adiuvaret, ut Hippodamiam obtineret, postquam victor evasit, fidem praestare noluit, eumque in mare praecipitavit: a quo Myrtoum pelagus est appellatum.

» *Tertius heres.* Agamemnon. Nam Pelops moriens Atreo filio regnum reliquit, Atreus Thyestae fratri, Thyestes Agamemnoni fratris filio.

V. 313. *Virtutes*, puta robur corporis, et animi magnitudinem.

V. 315. *Quum in cinerem. Solvere crines in cinerem*, est solutos et demissos crines infuso cinere foedare; quod solebant in luctu. Vel *in cinerem* dixit Poeta, pro *cineri*: nam consanguinei capillum sibi secabant in funeribus, et super carorum sepulcris, tamquam ipsis consecratum, reponebant.

V. 316. *Variabunt*, lividis ictum notis distinguent.

V. 318. *Prosternens*, falce secans.

V. 322. *Scamandri*, Scamander, qui et Xantus, fluvius est, qui ab Ida profluens, in Hellespontum, Troade irrigata, prorumpit.

V. 323. *Rapido.* Angusto enim Hellesponti alveo, inter Seston et Abidon, aqua maris inclusa velocius fluit.

V. 327. *Morti*, subaudi *eius*; nempe, mortuo Achilli.

» *Reddita*, data Polixena, tamquam praedae pars ipsi debita. Desponsa enim fuerat Achilli Polixena: immo eius coniugii spe inductus, a Paride

Quum teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos perculsae virginis artus.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi. 330
Nam simul ac fessis dederit Fors copiam Achivis
Vrbis Dardaniae Neptunia solvere vincla:
Alta Polixenia madefient caede sepulcra.
Quae, velut ancipiti succumbens victima ferro,
Proiiciet truncum submisso poplite corpus. 335
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Talia praefantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcae.
Praesentes namque ante domos invisere castas
Heroum, et sese mortali ostendere coetu 340
Caelicolae, nondum spreta pietate, solebant.
Saepe pater Divûm templo in fulgente revisens
Annua quum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.
Saepe vagus Liber Parnassi vertice summo 345
Thyadas effusis evantes crinibus egit:

per dolum interfectus est. Capta itaque Troia, Pyrrhus Achillis filius Polixenam ad patris sui tumulum perduxit, ibique eam mactavit.

V. 328. *Teres bustum*. Locus in quo cadaver combusserant, extincto rogo, *bustum* vocabatur. *Teres* autem *bustum* dicit, propter cippum aut columnam tumulo Achillis impositam, quae longe conspici poterat.

» *Excelso aggere*, nempe in vertice Sigaei promontorii.

V. 331-32. *Dederit copiam solvere*, potestatem solvendi seu diruendi fecerit.

V. 332. *Neptunia vincla*, muros urbis Troiae a Neptuno et Apolline regi Laomedonti aedificatos.

V. 334. *Ancipiti*, bipenni utrimque acuta, qua popae olim utebantur ad victimas occidendas.

V 335. *Proiiciet*; ital. *lascerà cader sul suolo*.

V. 340. *Coetu* pro *coetui*.

V. 342. *Revisens*, homines inviseus.

V. 343. *Annua sacra*. Ludi antiquissimi, cultui Iovis consecrati, in quibus Iuppiter ipse cum Saturno lucta certavit. Curetes vero primi cursu palmam petiverunt, si Pausaniam audimus. Hi fortasse apud Cretenses, eorum auctores, annui fuerunt; postea vero quam ab Hercule in Elidem translati sunt, tertio quoque anno celebrari coeperunt, donec tandem quinquennales fierent. Bene animadvertit Guarinus, hoc de ludis Olympicis intelligi non posse, quippe qui annui non fuerint, sed nimirum, quum Cretes apud se natum esse Iovem dicerent, credibile est, eius natalem annuis celebrare solitos esse: eosque respicere Catullum puto.

V. 345. *Vagus*, errabundus cum Satyris et Maenadibus: vel quod idem sit atque Sol, quem *vagum* superius appellavit.

» *Parnassi*, qui mons non solum Apollini et Musis, verum et Baccho sacer fuit.

V. 346. *Thyadas*, Bacchas, *Evoe*, vel *Evan* clamantes, quae Liberi patris cognomina fuerunt.

Quum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent lacti Divum spumantibus aris.
Saepe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo 350
Armatas hominum est praesens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudere manus fraterno sanguine fratres:
Destitit exstinctos natus lugere parentes: 355
Optavit genitor primaevi funera nati:
Omnia fanda, nefanda; malo permista furore
Iustificam nobis mentem avertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro. 360

V. 347. *Delphi*, nomen urbis notissimae ad Parnassi radices positae; praeterea ipsorum incolarum. Quum Delphi, turmatim erumpentes ex urbe tota, acciperent Deum, nempe Bacchum aris lacte spumantibus.

V. 348. Ceterum lacte tantummodo, non caesis victimis, antiquissimi numen Deorum placabant.

V. 350. *Tritonis hera*. Pallas, quae apud paludem Tritonidem (hanc in Africa Triton amnis efficit) armata primum apparuit.

» *Rhamnusia*. Adrasthea, seu Nemesis, Dea superbis et prosperam sortem bene ferre nescientibus infesta. Rhamnusiae cognomentum sortita fuit a Rhamnunte Atticae regionis pago, ubi templa et sacerdotes habuit. Bellis propterea interfuit, quod ad ipsam iniurias ulcisci, ac trophea de victis hostibus figere pertineret.

V. 357. *Fanda*, omnia iusta iniusta simul confusa per impium furorem hominum.

V. 359. *Tales coetus*, homines scil. tot tantisque sceleribus pollutos.

V. 360. *Contingi*. Hoc verbum vel est compositum a *tangor*, ut sententia sit: Dii non patiuntur se impuris hominum manibus contrectari, dum lucet, in medio foro atque aliis conventibus: vel est compositum a *tingor*, quo pacto scripsit Lucretius l. 2. v. 754. *Proinde colore cave contingas semina rerum*. Atque ita *contingi lumine*, idem fere erit ac *contingi colore*; quam veriorem explicationem existimo. Significat Poeta, non videri, aut occurrere vulgo Deos interdiu; sed noctu solum et per somnia; aut occurrere quidem, verum crassiori aere circumdatos.

CARMEN XXXVIII.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
  Sevocat a doctis, Hortale, virginibus:
Nec potis est dulces Musarum expromere foetus
  Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis:
Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris 5
  Pallidulum manans alluit unda pedem;
Troïa Rhoeteo quem subter littore tellus,
  Ereptum nostris obterit ex oculis.
Alloquar? audierone unquam tua facta loquentem?
  Numquam ego te, vita frater amabilior, 10
Aspiciam posthac? at certe semper amabo,
  Semper moesta tua carmina morte canam:
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
  Daulias, absumti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis moeroribus, Hortale, mitto 15
  Haec experta tibi carmina Battiadae:

Arg. Carm. XXXVIII. *Excusat se Hortalo familiari suo, homini litterato, quod ei paullo tardius Elegiam, quam ipse de Callimacho verterat, mittat legendam; iustam vero causam tarditatis affert, nempe acerbissimum animi dolorem ex recenti fratris morte susceptum, quam piis admodum atque elegantibus versibus deplorat.*

V. 2. *Virginibus*, scil. Musis.

» *Hortale*. M. Hortalii, Q. Hortensii oratoris nepotis, pauperrimi hominis, mentio fit apud Tacitum Annal. l. 2. cap. 37., et apud Suetonium in Tiberio cap. 47. Hunc nostri Poetae amicum fuisse interpretes putant.

V. 3. *Foetus*, foetus Musarum sunt carmina.

V. 4. *Mens animi*. Ita saepius locuti Plautus, Lucretius, et alii Veteres.

V. 5. *Mei fratres*. Hic in Troade mortem obiverat, Catullo absente, atque in Rhoeteo eius regionis promontorio sepultus fuerat.

» *Lethaeo gurgite*. Letes inferorum amnis.

V. 7. *Littore*, sub litore Rhoeteo, scil. Rhoetei promontorii.

V. 8. *Obterit*, opprimit.

V. 13. *Qualia*, carmina scil. canere solet Progne fatum deplorans Itys a patre devorati. *Progne*, Pandionis Athenarum regis filia, uxor Terei Thracis, qui in Daulide Phocidis urbe, Parnasso monti propinqua, regnavit, Itys filium occidit, patrique inter epulas comedendum praebuit, ut Philomelam sororem suam, cui Tereus linguam abscideral, ulciscereturl. Terens re cognita, stricto gladio, persecutus est Prognen, quae miseratione Deorum in lusciniam mutata est. Rem alii aliter narrant. Virgilius Philomelam uxorem Therei fuisse videtur opinari. Ecl. 6. v. 80.

V. 14. *Ityli*, sic quoque ab Homero vocatur Itys.

V. 16. *Experta*, quae vertere de Callimacho tentavi.

» *Battiadae*, Callimachi, grammatici et poetae doctissimi. Hic Battiades appellatus fuit, vel quod Battum in progenitoribus numeraret, vel po-

Digitized by Google

Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
  Effluxisse meo forte putes animo:
Vt missum sponsi furtivo munere malum,
  Procurrit casto virginis e gremio, 20
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
  Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono praeceps agitur decursu:
  Huic manat tristi conscius ore rubor.

tius a Cyrene patria, quam Battus condiderat.

V. 20. *Procurrit*, ital. *sdrucciola*.

V. 23. *Prono*, declivi spatio praeceps devolvitur.

V. 24. *Manat*, h. e. apparet.

» *Conscius*, qui factum detegit.

CARMEN XXXIX.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
  Qui stellarum ortus comperit, atque obitus:
Flammeus ut rapidi Solis nitor obscuretur,
  Vt cedant certis sidera temporibus,
Vt Triviam furtim sub Latmia saxa relegans, 5

Arg. Carm. XXXIX. *Ptolemaeus, cognomento Evergetes, Berenicen, seu Beronicen, Ptolemaei Philadelphi ex Arsinoe priore filiam, sororem suam, in matrimonio habuit. Ea recens ducta contigit, ut expeditionem adversus Assyrios susciperet, in quam quum proficisceretur, vovisse crinem suum Veneri Berenice dicitur, si sibi vir suus sospes victorque rediret domum. Cuius devotionis suae, quum re praeclare a Ptolemaeo gesta, convictam se iudicio Deorum immortalium videret; quo se religione exsolveret, crinem in Veneris aede appendit. Is quum postridie repertus non fuisset, magnoque ob eam rem rex reginaque in moerore essent, Conon, mathematicus ea tempestate excellens, ipsis persuasit, crinem Deûm numine sublatum in caelum, et in sidus conversum fuisse. Carmen Callimachi, ex quo Veronensis Poetae elegia, sane pulcherrima, tota expressa est, iniuria temporis iampridem intercidit, si pauca fragmenta excipias. Vtinam vero id carmen exstaret! Profecto eius ope multa in Catullo foede corrupta restitui possent.*

V. 1. *Omnia*. Coma ipsa Berenices in hac Elegia perpetuo loquens inducitur.

» *Lumina*, sidera.

» *Mundi*, caeli.

V. 3. *Obscuretur*. Quod contingit quum interposita Luna, Sol prohibetur, quominus radios ad nos usque transmittat.

V. 4. *Cedant*, occidant.

V. 5. *Triviam*, Lunam. Trivia dicta fuit vel quod in triviis coleretur, vel ob triplicem faciem, cornutam scil. dimidiatam, plenam; vel quod tripli-

Dulcis amor gyro devocet aerio :
Idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare: quam multis illa Deorum,
Laevia protendens brachia, pollicita est; 10
Qua rex tempestate, novo auctus hymenaeo,
Vastatum fines iverat Assyrios.
Coniugiumne novae *oderunt* nuptae? anne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Vbertim *sponsi* quas intra limina fundunt? 15
Non, ita me Divi, vera gemunt, iuverint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Invisente novo praelia torva viro.
Et tu vero orbum luxti deserta cubile,
Et fratris cari flebile discidium 20
Quum penitus moestas exedit cura medullas;
Vt tibi tunc toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit! at te ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es 25

cem Dianae sive Hecatae potestatem tribuerit antiquitas, in caelo nempe, in silvis, et apud inferos.

» *Latmia saxa.* Latmos Cariae mons, in quo venabatur Endymion e fabulis antiquissimis. Ad hunc coelo relicto Lunam veniitare solitam fuisse narrant.

V. 7. *Conon*, Samius mathematicus insignis.

V. 11. *Tempestate*, quo tempore Ptolemaeus.

V. 13. *Coniugiumne.* Coma Berenices ait se dubitare, utrum ex animo doleant puellae quum ad viros deducuntur, an potius falsis lacrimis laetitiam parentum obturbent. Caussam vero dubitandi hanc affert: quod Berenice, discedente Ptolemaeo, graviter fortunam suam lamentata sit; id profecto alioqui non factura, si tantopere a coniugio et coniuge abhorruisset: ut puellae oubentes videri voluot abhorrere.

V. 16. *Non, ita.* Ordo syntaxeos paullo perturbatior. *Non gemunt vera*, scil. non vere et ex animo gemunt, *ita Divi iuverint me*, sic me Dii adiuveot.

V. 16. *Iuverint.* In dimensione huius versiculi alterum *u* exeri debet. Videntur enim antiqui prius dixisse *iuo*, et *iuare*, deinde vero *u* geminavisse.

V. 17. *Me docuit*, non vere dolere.

V. 19. *Et tu vero*, etiam tu, o Regina, revera luxisti viduum thalamum a Ptolemaeo relicta.

V. 20. *Discidium*, abscoitiam.

» *Fratris.* Nam Ptolemaeus Evergetes Bereniceo sororem suam uxorem duxerat, exemplum secutus Ptolemaei Philadelphi patris sui, qui germanam Arsinoen sibi matrimonio iunxerat (neque enim ea coniunctio inhonesta Aegyptiorum legibus habebatur) repudiata et relegata priore Arsinoe, Lysimachi regis filia, quam in Deos relatam, sub nomine Veneris Arsinoes, vel Zephiritidis, Aegyptii coluerunt.

V. 21. *Quum*, quandoquidem.

Coniugium? quod non fortior ausit alis?
Sed tum moesta virum mittens, quae verba locuta es?
Iuppiter, ut tristi lumina saepe manu!
Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge Divis
Non sine taurino sanguine pollicita es, 30
Si reditum tetulisset! Is haut in tempore longo
Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.
Queis ogo pro factis caelesti reddita coetu
Pristina vota novo munere dissolüo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi, 35
Invita adiuro teque, tuumque caput,
Digna ferat, quod si quis inaniter adiurarit.
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris
Progenies Thiae clara supervehitur: 40
Quum Medi peperere novum mare, quumque iuventus
Per medium classi barbara navit Athon.

V. 26. *Quod non fortior*, quod alius nemo e numero fortium perficere aut suscipere auderet. Fortasse facinus illud significat, quod ab Hygino memoratur, qui refert Bereniceu, quum Ptolemaeus pater hostium multitudine perterritus fuga salutem peteret, in equum insiliisse, et reliquam exercitus copiam constituisse, et complures hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse.

» *Aliis*, pro *alius*.

V. 27. *Mittens*, dimittens.

V. 28. *Tristi*, pro *trivisti*.

V. 29. *Ibi*, tum. *Me*, scil, *comam*.

V. 31. *Tetulisset*, pro *tulisset*, antique, nempe rediisset.

» *Haut* pro *haud; in* redundat.

V. 32. *Asiam*, Syriam, Asiae partem debellatam, devictam Aegypti imperio adiecerat.

V. 33. *Caelesti coetu*, pro *coetui*, inter sidera caeli recepta.

» *Reddita*, quae Diis vota et promissa sunt, reddi dicuntur.

V. 38. *Postulet*, quis sibi tantam vim arroget, ut ferro criues tondenti se obsistere posse confidat?

V. 39. *Ille quoque*. Exempio a re maxima et celeberrima petito, quod cum ferri virtute comparari possit. Nam si montes ferro evertuntur, quid capillis fiet, infirmissimae omnium rei?

V. 39. *Maximum*, insigni altitudine. Montem Athon, inter Thraciam et Macedoniam situm, a planitie excurrere in mare per LXXV. mill. pass. tradit Plinius l. 5. Nat. Hist. cap. 10.

» *Eversus*; si ferro etiam ille altissimus mons excisus est, *in oris*, scil. in litoribus, quem olim navibus supervecta est clara progenies Thiae, Medorum nempe natio e Thia Hyperionis coniuge oriunda. Thia enim fuit mater Solis, Sol autem genuit Aetan Colcorum regem, cuius filii Medea et Medus; unde Medorum natio: qui propterea *Thiae progenies* dici recte possunt. Sic ex Vossio explicat Vulpius. Bentleius tamen rectius existimat, Solem ipsum hic intelligendum esse, ut haec sit sententia: *Quid crines adversus ferrum facient, quum ferro eversus sit Athos, omnium montium, supra quos Sol vehitur, maximus etc.*

V. 41. *Peperere*, formarunt. Aquas enim Aegei maris, fossa excavata, circum radices Athonis duxerunt.

V. 42. *Per medium Athon*. Si Pomponium Melam audiamus, is lib. 2. de

Quid facient crines, quum ferro talia cedant?
  Iuppiter, ut Chalybôn omne genus pereat:
Et qui principio sub terra quaerere venas 45
  Institit, ac ferri fingere duritiem!
Abiunctae paullo ante comae mea fata sorores
  Lugebant, quum se Memnonis Aethiopis
Vnigena impellens nutantibus aera pennis
  Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus. 50
Isque per aetherias me tollens advolat umbras,
  Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
  Grata Canopîis in loca litoribus.
Scilicet in vario ne solum limite caeli 55
  Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret: sed nos quoque fulgeremus

situ Orbis cap. 2. haec habet: *Athos . . . longe dorso procedit in pelagus: qua continenti adhaeret, a Xerxe in Graios tendente perfossus, transnavigatusque, et factus freto navigabili pervius.*

» *Barbara iuventus*, Xerxis exercitus, e Persis et Medis, qui Graecis barbari erant, conflatus.

» *Navit*, pro *navigavit*.

V. 44. *Iuppiter*. Formula optantium et voventium.

» *Chalybôn*. Chalibes populi sunt Themyscirenae regionis, ultra Cappadociam, insignes opere fabrili.

V. 46. *Institit*, studiose operam dedit quaerendis ferri fodinis.

V. 47. *Comae sorores*, Catullo sunt crines ad tempora, ad frontem, ad occipitium relicti.

V. 48. *Memnonis*, Memnon Titboni ex Aurora filius fuit, qui subsidio Troianis ex Orientis finibus venit.

V. 49. *Vnigena*, frater uterinus, nempe ex eadem matre genitus, quamquam ab alio patre. Ventos enim Astraei et Auroraе filios esse tradit Hesiodus in Theogon. v. 378.

V. 50. *Obtulit*, sese mihi exhibuit in templo.

» *Arsinoes Chloridos*. Hanc postea Zephiritidem appellat. Ceterum Arsinoe Ptolemaei Philadelphi coniux, nomine Chloridos et Veneris ab Aegyptiis colebatur.

V. 50. *Ales equus*, Zephyrus, sive Argestes, quem ventum Chloridi, florum Deae, tribuebant. Antiqui ventos equorum specie fingebant.

V. 51. *Vmbras*, noctu enim Coma e Veneris aede sublata fuit.

V. 53. *Zephyritis*; vel quod Chloris uxor esset Zephyri, vel potius a Zephyrio Aegypti promontorio, ubi Arsinoes insigne templum fuit. Arsinoe porro et Chloris et Zephyritis dicebatur.

V. 53. *Eo*, illuc in Zephyrium promontorium, ubi templum erat.

» *Famulum*, Zephyrum, seu Argestem miserat, tamquam legatum, cum hoc mandato, ut me tolleret, et in coelum transferret.

V. 54. *Grata in loca*, nempe in Aegyptum, regionem sibi gratissimam, cuius quondam regina fuerat.

» *Canopiis litoribus*. A Canopo insula et urbe Aegypti, celeberrima, prope id Nili ostium sita, quod ab ea Canopicum vel Canopium dictum est.

V. 55. *In limite coeli*, pro certa quadam regione caeli sideribus distincta.

V. 57. *Corona*. Quum Ariadna Libero nuberet in insula Dia, hanc primum coronam munieri a Venere et Horis accepisse dicitur, quum omnes Dii in eius nuptiis dona conferrent. Hanc po-

Devotae flavi verticis exuviae.
Vvidulum a fluctu cedentem ad templa Deûm, me
Sidus in antiquis Diva novum posuit. 60
Virginis et saevi contingens namque Leonis
Lumina, Callisto iuncta Lycaoniae,
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia Divûm 65
Luce autem canae Tethyi restituor:
(Pace tua fari haec liceat, Rhamnusia virgo:
Namque ego non ullo vera timore tegam:
Non si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin vere pectoris evolüam): 70
Non his tam laetor rebus, quam me abfore semper,
Abfore me a dominae vertice discrucior.
Quare tu, Regina, tuens quum sidera, divam

stea Bacchus in caelum sustulit, et sideribus annumerari volnit. Hoc sidus positum est ad Scorpiouem.

V. 59. *Vvidulum a fluctu.* Catullus Callimachi vestigiis insistens, fingit, Comam Berenices, Oceani Hesperii vaporibus antea madefactam, a Zephyro domum vel Argeste in caelum sublatam esse. Nam et mortuorum animas per Oceanum ad campos Elysios migrare ultra ipsum collocatos, vulgarium hominum, et poetarum quoque vulgi erroribus blandientium, persuasio fuit. *Sidus* igitur *uvidulum a fluctu*, est maris, vel aeris marini humore roscidum atque imbutum.-Quum ego ad templa Deorum incederem, h. e., ad caelum accederem, Diva Venus collocavit me sidus novum madefactum marino humore inter antiqua sidera.

V. 59. *Ad templa.* Ex augurum disciplina templum erat locus apertus, ex quo plagae mundi omnes aspici poterant: et caelestia etiam spatia *templa* vocabantur.

V. 61. *Virginis.* Qua in regione caeli posita sit Coma Berenices, ab aliorum siderum vicinitate luculenter ostendit. Habet autem hoc sidus ab ortu Booten, sive Arctophylaca, ab occasu dorsum Leonis, a septentrionibus posteriores pedes Vrsae maioris, a meridie Virginem.

V. 62. *Callisto*, Lycaonis Arcadum regis filia, Dianae comitum una fuit. Hanc Iuno zelotypa in ursam convertit: Iuppiter vero ex ursa sidus fecit Helices nomine: ac prope polum arcticum in caelo collocavit.

V. 63. *Tardum.* Quum enim Arctophylax moveatur in circulo mundi brevissimo, utpote eius vertici proximo, tarde admodum procedere videtur: stellae, contra, sitae prope maximum circulum aequinoctialem, summa celeritate convertuntur.

V. 65. *Sed quamquam.* Quamquam, inquit, eum honorem assecuta sim, ut noctu quidem vestigia me Deorum, caelo incedentium premant.

V. 66. *Restituor*, in oceanum recidens, in gremium Tethyos redeo.

V. 67. *Pace tua.* Quia arrogantius videri poterat quod dictura erat, se non tanti facere siderum consortium, ut non mallet adhuc in dominae capite haerere; idcirco prius Nemesin deprecatur. Nemesis magnifica verba superbasque animi cogitationes punire solita erat.

Placabis festis luminibus Venerem
Sanguinis expertem, non votis esse tuam me,
Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur retinent? utinam coma regia fiam,
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

V. 74. *Festis luminibus*, diebus festis.

» *Venerem*, Arsinoen.

V. 75. *Sanguinis expertem*. Veneris enim aras nihil sanguinis offundebatur.

» *Tuam me*. Quamdiu, ait Coma, cum reliquis sideribus in caelo versabor, mihi gratius facere nihil potes, quam si *non votis* tantum ac desideriis, verum largis muneribus offerendis Veneri supplicaveris, ut eius ope me rursus tuam efficere possis, mihique liceat in sedem veterem e nova remigrare. Caput enim tuum, o regina, unde sum ablata, caelo ipsi praeferendum semper existimavi.

V. 78. *Proximus*. Tum per me licet Orion vicinus Hydrochoo (a quo vel maxime est disiunctus) fulgeat.

» *Hydrochoi*. Hydrochoos Graecis est Aquarius, seu Ganymedes, unum e duodecim signis Zodiaci. *Hydrochoi* autem tertius est casus, ita fere declinatus, quemadmodum ab *Orpheus*, dativus *Orphei*.

» *Fulgeret*, pro *fulgeat*.

» *Oarion*, pro *Orion*, per epenthesin.

CARMEN XL.

Quod mihi fortuna, casuque oppressus acerbo,
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium:
Naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis,
Sublevem, et a mortis limine restituam:
Quem neque *cura gravis* molli requiescere somno 5
Exiguo saltem tempore perpetitur.
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
Oblectant, quum mens anxia pervigilat:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
Dulciaque et poscis munera Pieridum. 10
Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,

Arg. Carm. XL. *Quum a Manlio ut sibi aliquid carminum una cum nonnullis libellis veterum mittere vellet, rogaretur Catullus; hac politiori ac iucundissima elegia respondet neutrum se praestare posse, eo quod et ipse ex obitu fratris maximo afficeretur dolore, et libellos domi reliquerat. Deinde mirum in modum collata in se a Manlio extollit officia, eique fausta feliciaque omnia a Diis immortalibus adprecatur.*

V. 1. *Fortuna*, infortunio. Manlius hic in adversis rebus moerore oppressus consolationem a Catullo per epistolam quaesivit.

Digitized by Google

Neu mo odisse putes hospitis officium :
Accipe queis merser fortunae fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Multa satis lusi : nec *Musa* est nescia nostri, 15
Iucundum quum aetas florida ver ageret.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abscidit. O misero frater ademte mihi!
Tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater:
Tecum una tota est nostra sepulta domus. 20
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Quoius ego interitu tota de mente fugavi
Haec studia, atque omnes delicias animi.
Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit, 25
Haec tibi non tribuo munera, quum nequeo.
Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
Huc una ex multis capsula me sequitur. 30
Quod quum ita sit, nolim statuas me mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo;
Quod tibi non utriusque petiti copia facta est:
Ultro ego deferrem copia si qua foret.
Non possum reticere, Deae, qua Manlius in re 35
Iuverit, aut quantis iuverit officiis;
Ne fugiens saeclis obliviscentibus aetas
Illius hoc caeca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. Vos porro dicite multis
Millibus, et facite haec charta loquatur anus : 40

V. 12. *Hospitis.* Videtur Manlius, quotiescumque Veronam pergeret, hospitio Poetae uti solitus.

V. 15. *Lusi*, cecini.

V. 19. *Fregisti commoda*, ital. *hai rovinato gl'interessi miei.*

V. 28. *Domus*, Roma mihi domicilium est.

V. 29. *Carpitur*, deteritur, et fit minor.

V. 30. *Capsula*, ex multis librorum capsis unam tantum eamque exiguam huc, scil. Veronam, mecum convexi.

V. 33. *Vtriusque petiti.* Petierat enim carmina consolatoria ac libellos.

V. 35. *Deae*, Musae.

V. 36. *Iuverit*, scil. me.

V. 39. *Vobis.* Ad Musas enim potissimum pertinere credebant pulchrorum facinorum memoriam perenuem et incorruptam servare. Erant enim Iovis filiae ac Memoriae.

Ne tenuem texens sublimis aranea telam,
  Deserto in Manli nomine opus faciat.
Qualis in aerii pellucens vertice montis
  Rivus, muscoso prosilit e lapide:
Qui quum de prona praeceps est valle volutus, 45
  Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
  Quum gravis exustos aestus hiulcat agros:
Ac velut in nigro iactatis turbine nautis
  Lenius adspirans aura secunda venit, 50
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata:
  Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
  Quo mea se molli candida nupta pede
Intulit, et trito fulgentem in limite plantam 55
  Innixa, arguta constitit in solea;
Coniugis ut quondam flagrans advenit amore,
  Protesilaëam Laodamia domum

V. 42. *In deserto nomine.* In titulo statuae sopposito. Collocabant enim veteres maiorum suorum simulacra in atriis domuum privatarum: at cum haberentur oegligentius, pulvere, situ, fumo, rubigine, aranearum telis foede inquinabantur.

V. 45. *De prona*, qui quum praeceps devolutus est per pronam vallem. Est autem tmesis in verbo *Devolutus.*

V. 45. *Prona*, declivi; per declivem vallem defluxit.

V. 46. *Per medium iter*, per medias vias.

V. 48. *Hiulcat*, fiudit.

V. 51. *Iam prece*, modo Pollucis, modo Castoris auxilio invocato. Castor et Pollux, in tempestate nautis apparentes, fausta ac felicia tranquillitatis signa esse dicuntur. Qui mediterraneum mare navigant, hoc sidus appellant *Fuochi di s. Ermo.*

V. 52. *Manlius.* Manlius dedit Catullo agri partem, agro eiusdem Catulli vicinam, domumque adiecit, qua Poeta suam nuptam se excepisse gaudet, illamque Laodamiae, pulcherrima ast longiuscula digressione, comparat.

V. 55. *Fulgentem*, quod soccum, vel soleam aureis vinculis nexam haberet.

V. 56. *Arguta*, pulchra. Nisi dicamus argutam soleam, stridulam esse, quae nimirum inter ambulandum crepitum edit. Id porro soleis accidit, novis praesertim.

» *Solea.* His utebantur domi: coenatori autem eas deponebant, ne stragula lecti tricliniaris inquinarent, servoque a pedibus dabant custodiendas.

V. 58. *Laodamia.* Ea uxor Protesilai fuit, quae quum maritum suum primum ex omnibus Graecis in bello Troiano ab Hectore interfectum esse audisset, nimio illius desiderio contabuit. Sunt qui dicant obtinuisse Protesilaum, ut ex inferis ad eam viscendam reverteretur; quumque eam petiisset, ne sibi amplius superstes esse vellet; tum ipsam, acta per pectus hasta, sibi mortem adscivisse. Quod autem tam brevi tempore maritum suum amiserit, Catullus Deorum iram in caussa fuisse dicit, quibus ante nuptias sacra rite perpetrata non forent.

Digitized by Google

Inceptam frustra, nondum quum sanguine sacro
  Hostia caelestes pacificasset heros. 60
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
  Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
  Docta est amisso Laodamia viro.
Quod scibant Parcae non longo tempore abesse 65
  Si miles muros isset ad Iliacos:
Nam tum Helenae raptu primores Argivorum
  Coeperat ad sese Troia ciere viros:
Troia nefas, commune sepulchrum Asiae Europaeque,
  Troia virûm et virtutum omnium acerba cinis. 70
Quae nempe et nostro letum miserabile fratri
  Attulit: hei misero frater ademte mihi!
Hei misero fratri iucundum lumen ademtum!
  Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra, 75
  Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
  Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troia obscoena, Troia infelice sepultum

V. 59. *Inceptam frustra*, imperfectam. Quum enim quis uxorem ducit, is familiam orditur; deinde, susceptis liberis, tum demum familiam perficit.

V. 60. *Hostia*. Ante nuptias igitur victimae Diis mactabantur.

V. 62. *Invitis heris*, contra Deorum voluntatem.

V. 63. *Ieiuna*, vel nondum sanguine imbuta, vel diutius neglecta, et propterea quasi cruorem sitiens.

V. 64. *Docta est*, experta est Laodamia, quae virum amisit ob neglecta sacrificia.

V. 65. *Quod scibant*, nempe coniugium abruptum iri post breve tempus. *Scibant* pro *sciebant*.

V. 66. *Isset*. Si Protesilaus una cum reliquis Graecorum copiis militatum ad Troiam ivisset.

V. 67. *Ciere*. invitabat enim quodammodo proceres Graecorum ad ultionem civitas iniusta et superba.

V. 69. *Troia nefas*, infanda.

V. 69. *Commune sepulcrum*. Perinde enim Graecorum duces ac Troianorum in eo bello interfecti sunt.

V. 70. *Acerba cinis*, immatura cinis fortissimorum omnium heroum; quae immaturae mortis caussa fortissimis omnium heroum extitit.

V. 72. *Frater*. Recordatione fraternae mortis, a re proposita abducitur. Quae meo etiam fratri tam luctuosam attulit mortem. Suspicatur Palladius Fuscus, Catulli fratrem eo tempore apud Troiam e vita excessisse, quo Fimbria, Marianorum partium homo crudelissimus, urbem illam evertit, Sylla dominante.

V. 78. *Compositum*. Ossa mortuorum, quae ex incendio rogi superessent, manibus propinquorum lecta, urnis condebantur; atque ita conlita in sepulcris collocabantur; quod *componere* dicebant.

V. 79. *Obscoena*, abominanda.

Detinet extremo terra aliena solo. 80
Ad quam tum properans fertur *simul* undique pubes
Graeca penetrales deseruisse focos.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vita dulcius atque anima
Coniugium, tanto te absorbens vortice amoris 85
Aestus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum
Siccari emulsa pingue palude solum;
Quod quondam caesis montis fodisse medullis
Audet falsiparens Amphitryoniades: 90
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri:
Pluribus ut caeli tereretur ianua Divis,

V. 80. *Extremo*. De litore dictum intelligas: litus enim extrema est continentis pars; et frater Catulli in Troadis litore ad Rhoeteum promontorium sepultus fuerat.

V. 81. *Ad quam*, terram nempe alienam, Troiam.

V. 83. *Tanto vortice*, tanto amoris vortice te absorbuit aestus (*la violenta passione*) ut deiiceret in profundam voraginem.

V. 86. *Barathrum*, proprie fuit locus profundior Athenis, puteum refereus, in quem criminum capitalium damnatos deturbabant, quemadmodum Lacaedemone in Ceadam, voraginem ita appellatam.

V. 87. *Quale ferunt*. Quale narrant Graeci fuisse exsiccatum, absorpta palude, lutosum illud solum prope Pheneum, Arcadiae urbem in Cyllene monto.

» *Pheneum*. Narrat Pausanias in Arcadicis cap. 14., Herculem Tyrinthe ab Eurysteo pulsum, Pheneum se recepisse; quumque Olbius amnis immodica eluvione Pheneaticum agrum obsideret, fossam duxisse longitudine stadiorum L. sub vicinos montes excurrentem, in quam paludes defluerent.

V. 88. *Siccari*. Verbo praesentis temporis utitur Poeta, ut significet, ad suam usque aetatem, Herculis beneficium per-

V. 88. *Emulsa*, absorpta.

» *Pingue*, vel lutosum ex imbrium casu, vel fertile.

V. 90. *Falsiparens Amphit.*, ille qui falso putabat se filium Amphytrionis, scil. Hercules.

V. 91. *Stymphalia*. Refert Pausanias in Arabiae desertis aves inveniri quas appellent Stymphalidas, pardis ac leonibus nihilo mitiores, tum ea rostrorum duritie, ut vel aenea et ferrea corporis tegumenta pertundant. Si vero Stymphalidum sit certum aliquod et perpetuum genus, quemadmodum accipitrum, aquilarum et aliarum avium, censet, eas volucres indigenas esse Arabiae; quarum pars aliqua fortuna ex Arabia in Arcadiam devolarit ad Stymphalum, unde nomen acceperit eo nomine illustrius quod in Arabia quondam habuisset. - *Stymphalum* Arcadiae oppidum ad Stymphali montis radices. Stymphalus est enim lacus, et fluminis, et altissimi montis nomen. -Verum quod ad relationem Pausaniae attinet, eam qui sapit inter aniles fabellas reponet.

V. 92. *Deterioris heri*. Eurystei Mycenarum tyranni.

V. 93. *Pluribus ut caeli*. Vt Hercules Eurysthei iussa exsecutus iuxta Apollinis et Minervae oracula Deorum numerum augeret.

Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo, 95
Quod Divum domitum ferre iugum docuit.
Nam neque tam carum confecto aetate parenti
Vna caput seri nata nepotis alit:
Qui quum, divitiis vix tandem inventus avitis,
Nomen testatas intulit in tabulas, 100
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat a cano volturium capite.
Sed tu olim magnos vicisti sola furores,
Vt semel es flavo conciliata viro.
Aut nihil, aut paullo quoi tum concedere digna 105
Advenit nostram candida nupta domum.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis aliis redditur officiis:
Ne vestrum scabra tangat robigine nomen

V. 94. *Hebe*, iuventutis Dea, Iunonis filia, Diis praedentibus omnibus ex aequo ministrabat; quum Ganymedes Iovis tantum minister esset. Ea Herculi in Deos relato nupsisse dicitur.

V. 95. *Altus*. Iterum Laodamiam alloquitur.

» *Altior*, barathro illo, in quod inciderat Hercules, ut domitus Euristhei imperio, illi obtemperaret.

V. 97. *Nam neque*. Comparatione hac pulcherrima mirificum et paene incredibilem amorem Laodamiae adversus maritum Protesilaum exprimere conatur. Nec enim, ait, unica filia educat ita carum nepotem sero admodum natum parenti suo iam decrepito, qui tandem praeter spem susceptus, ut avi divitiis succedat, ubi primum testamento scriptus est heres, efficit, ut gentilis, qui sperabat hereditatem ad se devolutum iri, ob idque impium gaudium ex imminenti senis morte capiebat, eique, tamquam vulturius aliquis, imminebat, gaudere desinat, inani se expectatione delusum videns.

V. 99. *Inventus*, praeter spem susceptus; subaudi, *heres*.

V. 100. *Nomen intulit*, obtinuit, ut nomen suum inferretur in tabulas testamenti.

V. 101. *Impia*. Enimvero impium et inhumanum est senis orbi hereditatem captare, eiusque mortem assiduis votis exoptare, ac demum illa iam imminente gaudere.

V. 101. *Gentilis*. Gentiles, ait Cicero in Topicis, appellantur eiusdem familiae, sive nominis, homines.

» *Tollens*, auferens.

V. 102. *Suscitat*, depellit.

» *Volturium*, heredipetam scil. captatorem, non aliter miseri senis facultatibus, quam vultures cadaveribus, inhiantem.

» *Capite cano*, ab avo suo sene.

V. 105. *Aut nihil*. Nunc, omissa Laodamia, oi nuptam suam, de qua superius egerat, confert; quae vel par omnino, vel certe vix inferior haberi merebatur.

» *Quoi*, Laodamiae.

» *Concedere*, cedere digna, aut nihil, aut certe parum.

V. 107. *Hoc tibi*. Redit tandem ad Manlium.

V. 109. *Vestrum*, tuum.

» *Tangat*, contegat, obliteret.

» *Robigine*. Robiginem Catullus hic usurpavit pro damnis vetustatis, quae nomina ac titulos illustrium virorum paullatim obliterat, atque oblivione consumit.

Digitized by Google

Aut facere: haec a te dictaque factaque sunt.
Omnia quae ingratae perierunt credita menti.
Quare iam te cur amplius excrucies? 10
Quin te animo obfirmas, atque istinc usque reducis,
Et, Diis invitis, desinis esse miser?
Difficile est, longum subito deponere amorem:
Difficile est, verum hoc qualubet efficias.
Vna salus haec est, hoc est tibi pervincendum. 15
Hoc facito, sive id non pote, sive pote.
O Dii, si vestrum est misereri, aut si quibus unquam
Extrema iam ipsa in morte tulistis opem:
Me miserum aspicite: et, si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem, perniciemque mihi, 20
Quae mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore laetitias.
Non iam illud quaero, contra ut me diligat ille,
Aut, quod non potis est, *gratus ut* esse velit:
Ipse valere opto, et tetrum hunc deponere morbum. 25
O Dii, reddite mi hoc pro pietate mea.

V. 9. *Credita*, facta.

V. 11. *Istinc usque reducis*. Cur non removes te in perpetuum ex ista ingrati hominis familiaritate.

V. 14. *Qualubet*, quacumque ratione.

V. 15. *Pervincendum*. Hoc a te omni contentione obtinendum, ut nempe ingrati hominis omnino obliviscaris.

V. 16. *Sive id non pote*, sive id fieri non potest, sive potest. Vel, sive id facere non potes, sive potes. Nam *pote* utraque significatione usurparunt Veteres.

V. 17. *Si vestrum est*. Qui enim Epicuri sectae nomen dederant, ii Deos immortales neque ira, neque gratia, neque misericordia, neque ullo affectu humanorum simili tangi aut moveri credebant, ea omnia infirmitatis indicia esse dicentes.

V. 20. *Eripite*, me liberate ab hac calamitate et aegritudine.

V. 21 *Subrepens*, se se insinuans.

V. 24. *Non potis est*, scil. facere.

V. 25 *Tetrum morbum*, molesta hac aegritudine liberari. Omnes animi perturbationes morbos appellari in Tusculanis scribit Cicero.

CARMEN XLIII.

Rufe, mihi frustra ac nequicquam credite amice,
Frustra? immo magno cum pretio atque malo.
Siccine subrepisti mi, atque intestina perurens,

Arg. Carm. XLIII. *Expostulat cum Rufo gravissime, quod is, amicitiae iure violato, quod sibi carissimum erat eripuisset.*

V. 2. *Pretio*, cum mea gravi iactura.

V. 3. *Subrepisti*, pro *Subrepsisti*; nempe in meam familiaritatem te callide insinuasti.

Mi misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti. Heu heu nostrae crudele venenum 5
Vitae, heu heu nostrae pestis amicitiae!
Verum id non impune feres: nam te omnia saecla
Noscent; et qui sis fama loquetur anus.

CARMEN XLIV.

Nemone in tanto potuit populo esse, Iuventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Praeterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua,
Qui tibi nunc cordi est, quem tu praeponere nobis 5
Audes? Ah nescis, quod facinus facias.

Arg. Carm. XLIV. *Iuventium irridet atque obiurgat, quod, ipso posthabito, foedum quemdam hominem Pisaurensem amicum elegisset.*

V. 3. *Moribunda a sede.* Fortasse quod Pisaurenses aerem pestilentem ducerent, eiusque vitio misere pallerent. Hic autem color morti proximos invadere atque occupare solet. *Moribundam vero sedem* dixit, pro *mortiferam.* Pisaurum, *Pesaro*, oppidum in Umbria.

CARMEN XLV.

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis;
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, si quid carius est oculis.

Arg. Carm. XLV. *Quintium sodalem suum orat obtestaturque, ut ab eo, quod sibi carissimum est, manum abstineat.*

V. 1. *Quinti.* Fortasse hic Quintius lectissimus adolescens est Veronensis, de quo alio in Epigrammate mentionem facit Catullus.

CARMEN XLVI.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et *hinsidias* Arrius insidias.
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Quum, quantum poterat, dixerat *hinsidias.*
Credo sic mater, sic Liber avunculus eius, 5
Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem haec leniter, et leviter.
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Quum subito adfertur nuntius horribilis: 10
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed *Hionios.*

Arg. Carm. XLVI. *Arrium quemdam urbane perstringit, quod inter pronuntiandum temere adspiratione uteretur.*

V. 1. *Chommoda.* Videtur Arrius ab antiquiorum consuetudine discedere noluisse, qui, ut testatur A. Gellius lib. 2. cap. 3., H *litteram inserebant plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset viridior vegetiorque.* Erant autem qui libenter vetustam et obsoletam pronuntiationem revocarent, ut eruditiores vulgo haberentur: quod et hodie nonnulli faciunt.

V. 2. *Arrius.* Fortasse hic Arrios C. ille Arrius fuerit, cuius in Epistolis Tullianis ad Atticum crebra mentio.

V. 5. *Liber.* Cognomen *Liber* apud Romanos ait Scaliger ab eo derivatum, quod, exsecto matris utero, ipsi liberi evaserant.

V. 7. *In Syriam.* Profectus fuerat in Syriam Arrius, ut videtur, vel ipse magistratus, vel saltem praetoris aut proconsulis comes legatusve.

V. 8. *Audibant*, pro *audiebant.*

» *Leniter.* Postquam Arrius ab orbe discessisset, *commoda, et insidiae*, pleraque alia vocabula ab eo depravata, iam pronuntiabantur ab omnibus *leniter et leviter*, id est sine adspirationis molestia.

V. 9. *Postilla*, postea.

» *Metuebant.* Non metuebant scilicet, quod Arrius in Syriam missus fuisset, qui eam tam aspere pronuntiabat, atque omnes aures offendebat.

CARMEN XLVII.

Odi, et amo. Quare id faciam, fortasse requiris
Nescio: sed fieri sentio, et excrucior.

Arg. Carm. XLVII. *Quaerenti fortasse cur unum eumdemque hominem tam amore quam odio prosequatur, quid respondeat, se nescire, ait.*

CARMEN XLVIII.

Nil nimium studeo, aesar, tibi velle placere,
Nec scire utrum sis albus, an ater homo.

Arg. Carm. XLVIII. *C. Iulium Caesarem, quamquam in Romana republica principem, a se contemni et floccifieri non dissimulat.*

V. 2. *Vtrum sis albus.* Locutio, qua suam de homine aliquo ignorationem Latini veteres significabant. Hunc locum citat Quinctilianus lib. 11., suppresso auctoris nomine. Est autem proverbium ad contemtum indicandum valens.

CARMEN XLIX.

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem
Quam coepta est, nonamque edita post hiemem:
Millia quum interea quingenta Hortensius uno
Saepe die, ut minimum, carmina condiderit :
Zmyrna cavas Atacis penitus mittetur ad undas, 5
Zmyrnam incana diu saecula pervolüent.
At Volusi Annales Aduam morientur ad ipsum,
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.

Arg. Carm. XLIX. *Zmyrnam Cynnae laudat. Volusii annales irridet. Epigrammata sua cordi sibi esse dicit.*

V. 1. *Zmyrna.* Haec est huius nominis orthographia, ut ex vetustis codicibus ostendit Vossius. Argumentum poematis Cinnae a Catullo memorati, Parthenius existimat fuisse Zmyrnae cuiusdam Amazonis res praeclare gestas.

» *Mei Cynnae*, quem poetam plurimi faciebat Virgilius, quum Bucolica pararet: natu maiorem, ut videtur, ex Ecloga 11. v. 35.

V. 1.-2. *Messem . . . hiemem.* Hae duae anni tempestates pro annis ipsis usurpantur: quod poetis solemne est.

V. 3. *Millia quingenta*, numerum finitum pro infinito posuit.

» *Hortensius.* Q. Hortensium, egregium illum oratorem, carminibus etiam saepius lusisse docemur a Plinio Caecilio Epist. 3. lib. 5., quae tamen carmina apud A. Gellium lib. 19. cap. 9. *inventusta* dicuntur.

V. 4. *Vt minimum*, res nullius momenti.

V. 5. *Zmyrna.* Mittetur penitus ad undas cavas (pro cavi) Atacis (Atax fluvius Galliam Narbonensem alluens) Ac si diceret: Zmyrna Cinnae non solum Romae ubi nata est, verum ad penitiores fontes Atacis (accepto hoc particulari pro quovis remotissimo fluvio) clarescet.

V. 7. *Volusi.* Annales autem Volusii. Volusius iste Ennium secutus annales scripserat, sed iratis Musis, si Catullum audimus.

» *Adua* Transpadanae regionis flumen est, quod Polybius *Aduam* vocat: hodie *Adda*.

» *Morientur*, peribunt, non ultra Aduam progredientur: Transpadanae regionis, ex qua fortasse erat Volusius, fines non egredientur.

V. 8. *Laxas tunicas*, lata integumenta. *Laxas*, quod Volusii Annalium volumina prolixa admodum essent, atque ex ingentibus chartis confecta.

Digitized by Google

Parva mei mihi sunt cordi monimenta laboris,
At populus tumido gaudeat Antimacho. 10

V. 8. *Scombris*, vilissimis pisciculis.
V. 10. *Populus*, qui ingentia potius, quam docta volumina suspicit.
» *Tumido Antimacho*, Colophonio, vel Clario, qui belli Thebani historiam ab ovo, ut aiunt, orsus est, ac pluribus carminum libris complexus.
» *Tumido*, vel propter stylum dixit, vel propter operis magnitudinem; tamquam verbosum, sed rerum inopem.

CARMEN L.

Si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amissas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori est 5
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

Arg. Carm. L. *C. Licinius Calvus, orator egregius, Catulli perfamiliaris, Quintiliam, in ipso aetatis flore acerbo funere sibi praereptam, elegis deplorabat. Hos laudat Catullus, aitque Quintiliae non tanto dolori immaturam fuisse mortem, quanto ei solatio sint Calvi pietas et ingenium, quibus futurum est, ut nomen vita functae ab oblivione hominum et silentio vindicetur.*

V. 1. *Si quicquam.* Dubium erat veteribus, an aliquis mortuis sensus eorum superesset quae a viventibus gerantur.
» *Sepulcris.* Mutis mortuorum cineribus.
V. 3. *Quo*, scil. dolore.
» *Desiderio renovamus*, desiderium significamus renovandi veteris amoris.
V. 4. *Olim amicitias*, antiquam amicitiam.

CARMEN LI.

Multas per gentes, et multa per aequora vectus,
Adveni has miseras, frater, ad inferias;
Vt te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te abstulit ipsum, 5

Arg. Carm. LI. *Fratris carissimi, dum is peregrinaretur, acerba morte sublati, et ad Rhoeteum Troadis promontorium sepulti, cineribus parentat.*

V. 2. *Inferiae* sunt dona et sacrificia, quae mortuorum umbris Veteres dicabant. *Inferiae* porro dicta sunt, vel quia sepulcris inferebantur, vel quia Diis inferis offerebantur.
V. 3. *Munere mortis*, videlicet florum sparsione, lactis, mellis, aquae, fini, olei effusione, quibus rebus ad inferias utebantur.

Heu miser indigne frater ademte mihi.
Nunc tamen interea prisco quae more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum, frater, have atque vale. 10

V. 10. *Have*, ital. *resta in pace*. Have et valere eos fere iubebant, quos amplius visuri non erant.

CARMEN LII.

Si quicquam tacito commissum est fido ab amico,
Quoius sit penitus nota fides animi:
Me unum esse invenies illorum iure sacratum,
Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

Arg. Carm. LII. *Cornelio sodali suo, qui cum ipso de aliquibus communicaverat, quae in vulgus proferri non oporteret, pollicetur, se illa summa fide altoque silentio custoditurum.*

V. 1. *Tacito*, qui tacere noverit.

V. 3. *Illorum*, scil. qui tacere noverint, commissaque arcana summa fide custodire.

» *Iure sacratum*, tamquam Cereris mysteriis, aut sacris aliis quibuscumque arcanis et populo ignotis initiatum. *Aliquorum iure sacrari*, est sectae alicuius praeceptis atque institutis obligari, et apud eius antistites sacramentum dicere.

V. 4. *Harpocratem*. Hic erat silentii Deus, quem Aegyptii colebant. Huius simulacrum, digito labiis admoto, admonere videbatur, ut silentium fieret.

CARMEN LIII.

Si quicquam cupidoque optantique optigit umquam, et
Insperanti, hoc est gratum animo proprie:
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quod te restituis *tam cito* mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipse refers te. 5
Nobis o lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior, aut magis hac quid
Optandum vita dicere quis poterit?

Arg. Carm. LIII. *Suas ipsius fortunas laudat, seque tamquam hominum felicissimum praedicat, quod amicus, mutuas offensas oblitus, cum ipso, praeter spem, in gratiam redierit.*

V. 5. *Refers*, ad me redis.

V. 6. *Nobis o lucem*. O diem mihi candidiore lapillo signandum, ital. o *giorno dei più lieti per me*: Cretenses, dies felices ac laetos albis lapillis seu calculis, nigris vero tristes et infelices notare solitos fuisse, nota satis res est.

CARMEN LIV.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
  Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
  Lingua exsecta avido sit data volturio:
Effossos oculos voret atro gurgite corvus, 5
  Intestina canes, cetera membra lupi.

Arg. Carm. LIV. *Cominium, senem improbum, qui propterea quod bonis omnibus petulanter malediceret, Populo Rom. in odium acerbissimum venerat, insectatur: ipsumque ait dignum esse, cuius, omnium civium suffragiis damnati, cadaver, vultures, corvi, canes, lupi devorent atque discerpant.*

V. 1. *Comini.* Cominiorum familia equestris.

» *Arbitrio populi.* Populi suffragiis ad comitia convocati.

» *Tua cana senectus*, Cominii canam senectutem posuit pro *Cominio sene cano.*

V. 3. *Inimica bonorum.* Fuerunt P. et C. Cominii fratres Romae accusatores bonis invisi, ut ex Asconio in Orat. pro Cornelio, quae deperdita est, colligitur.

V. 4. *Exsecta*, manu et forcipe carnificis. Id erat supplicii genus.

V. 5. *Effossos oculos.* Oculos effodere corvorum proprium esse cadaveribus inhiantium, tradit Agapetus Diaconus cap. 12. Schedae Regiae. Lucianus in Dial. Promethei et Iovis id vulturibus tribuit.

Atro gurgite. Gurges aquarum vorago est. Transferri autem solet hoc vocabulum ad belluones, qui patrimonia comedunt, et omnia in ventris barathrum deiiciunt. *Gurges* igitur, hoc Poetae nostri loco, erit corvi abdomen.

CARMEN LV.

Iucundum, mea vita, mihi proponis amorem
  Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.
Dii magni, facite, ut vere promittere possit:

Arg. Carm. LV. *Idem Catulli amicus, de quo supra Carm. LIII., cum ipso in gratiam redierat, spoponderatque aeternam illorum amicitiam futuram. Poeta idcirco Diis vota suscipit, ut promissum hoc ratum habeant, et amicum in proposito permanere faciant.*

V. 3. *Dii magni.* Deos maiorum gentium invocat, quos etiam *Consentes* appellabant, quod Iuppiter eos in consilium adhibere putaretur. Horum nomina Ennius duobus versiculis ita complexus fuerat:

Iuno, Vesta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars.

Mercurius, Iovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Digitized by Google

Atque id sincere dicat, et ex animo.
Vt liceat nobis tota producere vita 5
Aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

CARMEN LVI.

Saepe tibi studioso animo venanda requirens
Carmina uti possem mittere Battiadae,
Queis te lenirem nobis, neu conarere
Telis infesto mi icere, musca caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumtum esse laborem, 5
Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu:
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

Arg. Carm. LVI. *Gellio, ineptis versiculis in ipsum debacchanti, diras acerrimas minitatur.*

V. 1. *Studioso animo venanda*, quorum sententiis obscurioribus et non vulgarem doctrinam continentibus, erueudis declarandisque ingenium tuum exerceres atque otium oblectares, ital. *da studiarsi da te con tutta l'applicazion dell'animo per pescarne il sentimento.*

V. 2. *Battiadae* Vide Carm. XXXVIII, v. 16.

V. 4. *Infesto mi*, periculi pleno, quem laedere impune non licet.

» *Musca.* Impudentis et molesti hominis *hyeroglyphicum* apud Aegyptios musca fuit.

V. 6. *Preces*, hic sunt dirae, seu vota Diis suscepta, ut inimicum perdant.

INDEX

Typographus Taurinensis L. S.			pag. 3
De Vita Catulli ex Io. Ant. Vulpio			» 4
Carmen I.	Libelli dedicatio		» 5
» II	Luctus in morte passeris		» 6
» III.	Dedicatio Phaseli		» ib.
» IV.	Ad Socios		» 8
» V.	» Verannium		» ib.
» VI.	» Furium et Aurelium		» 9
» VII.	» Asinium		» 10
» VIII.	» Fabullum		» ib.
» IX.,	» Calvum Licinium.		» 11
» X.	» Coloniam		» 12
» XI.	» Hortorum Deum		» 13
» XII.	Hortorum Deus		» 14
» XIII.	Hortorum Deus		» 15
» XIV.	Ad Varrum		» ib.
» XV.	» Furium		» 16
» XVI.	» Eumdem		» 17
» XVII.	» Pocillatorem Puerum		» 18
» XVIII.	» Verannium et Fabullum		» ib.
» XIX.	» Alphenum		» 19
» XX.	» Sirmionem peninsulam		» 20
» XXI.	» Dianam		» 21
» XXII.	» Caecilium		» 22
» XXIII.	» Cornificium		» ib.
» XXIV.	In Egnatium		» 23
» XXV.	» Ravidum		» 24
» XXVI.	» Ad fundum		» ib.
» XXVII.	» Se ipsum de adventu veris.		» 26
» XXVIII	In Porcium et Socrationem		» ib.
» XXIX.	Ad M. T. Ciceronem		» 27

Carmen	XXX.	Licinium Calvum . .	pag.	27
»	XXXI.	Seipsum de Struma et Vatinio .	»	28
»	XXXII.	De quodam, et Calvo . . .	»	ib
»	XXXIII.	Ad Camerium	»	29
»	XXXIV.	In ingratum	»	30
»	XXXV.	» nuptias Iuliae et Manlii .	»	31
»	XXXVI.	Carmen nuptiale . . .	»	36
»	XXXVII.	Epithalamium Pelei et Thetidos.	»	39
»	XXXVIII.	Ad Hortalum	»	56
»	XXXIX.	De Coma Berenices . . .	»	57
»	XL.	Ad Manlium	»	62
»	XLI.	In ingratum	»	66
»	XLII.	Ad se ipsum	»	ib.
»	XLIII.	» Rufum	»	69
»	XLIV.	» Iuventium	»	70
»	XLV.	» Quintium	»	ib.
»	XLVI.	In Arrium	»	71
»	XLVII.	De amico	»	ib.
»	XLVIII.	In Caesarem	»	72
»	XLIX.	De Zmirna Cinnae poetae .	»	ib.
»	L.	Ad Calvum	»	73
»	LI.	Inferiae ad fratris tumulum .	»	ib.
»	LII.	Ad Cornelium . . .	»	74
»	LIII.	» Amicum	»	ib
»	LIV.	In Cominium	»	75
»	LV.	Ad Amicum	»	ib
»	LVI.	In Gellium	»	76

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBII

TIBVLLI

EQVITIS ROMANI

CARMINA CASTIGATA

AVGVSTAE TAVRINORVM
EXCVDEBAT HYACINTHVS MARIETTI
AN. M. D. CCC. LXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA

ALBII TIBVLLI

EX IO. ANT. VVLPIO

Honesto et equestri loco natus est Albius Tibullus in Vrbe terrarum domina, ut perantiquae membranae testantur. Annum Vrbis conditae D. CC. XI. *quo A. Hirtius et T. Vibius Pansa Coss. proelio Mutinensi adversus Antonium pro patria occubuerant, Tibullo simul atque Ovidio natalem fuisse, monumentis litterarum tradiderunt Petrus Crinitus et Lilius Gregorius Gyraldus, qui Poetarum historiam persequuti sunt. Id porro illis persuasit versus quidam pentameter, quem utriusque Poetae codices praeferunt, ubi ambo de sui ortus tempore verba faciunt,*

Quum cecidit fato Consul uterque pari.

At Iosephus Scaliger, qua erat sagacitate, primum subodoratus est hunc versiculum ex Tibulli carminibus, tamquam spurium et aliunde sumtum (e Sulmonensi scilicet Poeta), expungi oportere. Veri similius itaque fuerit, aequalem Horatii Tibullum facere, id suadente ipsius Flacci testimonio, qui Epist. 4. *Lib.* 1. candidum iudicem sermonum suorum *eum appellare non dedignatur. Emunctae vero naris hominem, qualis erat Horatius, iam octo lustris viven-*

do confectis, scripta sua accuratissime elucubrata, homini adolescenti, viginti duobus annis ipso iuniori, si natalem diem, vel saltem annum cum Ovidio communem habuisset, castiganda committere, iure ac merito puduisset. Ex Domitii Marsi Epigrammate intelligimus, paullo post Virgilii mortem Tibullum ad Elysios migravisse. *Quare quum Donatus scripserit, Virgilium denatum C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vespillone Coss., anno V. C.* I. CC. XXX. V., *sequitur necessario, si Tibullum Horatio supparem facimus, cuius natalis contigit anno* D. C. L. XXX. IX., *L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato Coss., eum ultra quadraginta annos vitam produxisse. Patrimonium, quod peramplum habuerat, repente imminutum deflevit militum Caesarianorum vi et latrocinio, quibus tum omnia vastabantur. M. Valerii Messalae Corvini, summi viri, triumpho Aquitanico notissimi, cliens et comes perpetuus fuit. Macrum et Horatium poetas in familiaribus habuit: etiam T. Valgii heroico versu excellentis, honorificam mentionem facit. Quanti autem Elegiae Tibulli aestimandae sint, vel ex uno Fabio Quinctiliano colligere possumus, qui quum* tersum *iudicet* atque elegantem maxime, *simul ei principatum in hoc genere carminis facile tribuit. Poetam certe Tibullo suaviorem, planiorem, aut magis aptum ad motus animi pingendos, vix ac ne vix quidem invenias.*

ALBII TIBVLLI

LIBER I.

ELEGIA I.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vitae traducat inerti, 5
Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, et facili grandia poma manu.

Arg. Eleg. I. *Ait, se ruri, dum vixerit, perpetuo futurum.*

V. 1. *Congerat*, accumulet, coacervet divitias ex fulvo, coruscanti auro; auri thesauros.

V. 2. *Iugera.* Iuger, vel iugerum est terrae spatium, quod uno die par boum arare potest. Duplex divitiarum genus significare hic voluit Tibullus, nempe illas, quae parantur foenore, et quae redeunt ex fundis.

V. 3. *Vicino hoste*, ab vicinum hostem. *Vicino*, vel qui non longe castra posuit, vel qui loca finitima incolit. Romani enim ad imperii fines, tamquam in excubiis, legiones statuebant, adversus barbarorum insidias, et vim apertam.

V. 4. *Martia classica*, bellicae tubae inflatae; tubarum sonitus ad pugnam excitantium somnum obrumpunt.

V. 5. *Paupertas.* Differt paupertas ab egestate ac mendicitate. Aliquando enim significat mediocritatem, ut hoc loco Tibulli; qui quum prius locuples fuisset, ac deinde magnam rei familiaris iacturam fecisset, nunc pauperem se appellat.

V. 5. *Vitae inerti*, liberae a belli laboribus.

» *Traducat*, ital. *mi lasci menare, mi lasci in braccio ad una vita tranquilla.*

V. 6. *Dum*, dummodo.

» *Assiduo.* Ignis enim in foco semper accensus familiae incolumitatem significabat: nam in luctu eum extinguebant.

V. 7. *Ipse*, absque vinitoris ministerio: ital. *io di man propria.*

» *Seram*, ital. *piantero* novellas vites, malleolos opportuno tempore.

V. 8. *Rusticus*, subaudi *tamquam*, *quasi.*

» *Facili manu*, vel perita, cui opus ideo facilius est; vel quae domino suo minuit sumtum, quum ipse laboret.

» *Grandia poma*; solent agricolae praestantissima quaeque ad sationem seligere, ne rerum species deteriores fiant. *Grandia* vero *poma* Tibullus dixit pro *semina grandium pomorum*, vel *surculos lectos arborum grandia poma parientium.*

Digitized by Google

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
  Clamet: io messes et bona vina date.
Iam modo, iam possum contentus vivere parvo, 25
  Nec semper longae deditus esse viae:
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
  Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
  Aut stimulo tardos increpuisse boves; 30
Non agnamve sinu pigeat foetumve capellae
  Desertum, oblita matre, referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
  Parcite; de magno est praeda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis 35
  Et placidam soleo spargere lacte Palen.
Adsitis, divi, neu vos e paupere mensa
  Dona, nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
  Pocula, de facili composuitque luto. 40

V. 24. *Io*, precantis est et exsultantis; Ital. *deh*.

V. 25. *Iam modo*, iam possum tenui victu contentus esse, quod antea non poteram; nec longis itineribus distineri. *Vossius legit*: *Iam modo non possum contentus vivere parvo: - Nec* . . . . scilicet *Non modo (pro modo non) possum contentus vivere parvo: nec etc.*; verum indulgere fas est otio etc.

V. 26. *Deditus*. Vt solent milites in expeditionibus, vel mercatores. *Deditus viae*, vel quem delectat peregre proficisci, vel qui genere ipso vitae cogitur ad longa itinera suscipienda.

V. 27. *Canis*. Oritur Canis XVI. kal. Augusti, occidit post dies XL., qui caniculares ideo vocantur. *Canis aestivos ortus* dictum videtur pro *Canis aestivi ortus*.

V. 29. *Nec tamen*. Otiari quidem volo: non ita tamen, ut ab opere faciundo omnino desistam. Iosephus Scaliger, haec tam pulchre colligata et cohaerentia, adversus fidem codicum, pessime lusaverat.

V. 30. *Increpuisse*, instigare aculeo; ital. *pungolo*; vel minitando percutere. Rusticorum morem exprimit, qui et verbis et stimulo pigros boves increpant.

V. 31. *Foetum capellae*, hoedum a matre oblita derelictum.

V. 35. *Lustrare*, expiare, purificare, nempe per sacrum ambarvale. Rustici enim stato anni tempore, puta maturis iam frugibus, victimam circum praedia sua ducebant, deos agrorum praesides orantes, uti volentes propitii segetem, vineam, pecus, liberos, familiam ipsis fortunarent; itaque ita diem illum potu et cantu hilares transigebant. Vide Elegiam I. lib. 2., ubi Sacrum Poeta describit. Fiebat autem sub ipsis Palilibus.

V. 36. *Spargere*, perfundere; lac offerre. Pales dea pastorum est, cui rustici, ut ait Plinius, lacte supplicabant. Eius festa mense Aprili celebrabantur, et *Palilia* dicebantur.

V. 40. *De facili*, de vili. Res minimi pretii, vulgares, viles, *faciles* appellantur. Ni forte respexit ad eam facilitatem, qua argilla commode tractari ac fingi possit: de qua Ovid. Met. XV. *Vtque novis facilis signatur cera figuris*. Ital. *Arrendevoli*.

Non ego divitias patrum fructusque requiro,
  Quos tulit antiquo condita messis avo.
Parva seges satis est: satis est requiescere lecto
  Si licet, et solito membra referre toro.
Quam iuvat immites ventos audire cubantem, 45
  Aequore ab indomito dum sibi nauta timet;
Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
  Securum somnos, imbre iuvante, sequi!
Hoc mihi contingat; sit dives iure, furorem
  Qui maris et tristes ferre potest Hyadas. 50
Te bellare decet terra, Messala, marique,
  Ut domus hostiles praeferat exuvias.
Non ego laudari curo: modo vota secundet
  Parva seges, quaeso, segnis inersque vocer.
Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque 55
  Ite procul: cupidis vulnera ferte viris;
Ferte et opes: ego composito securus acervo
  Despiciam dites, despiciamque famem.

V. 41. *Fructus*, reditus, quos fruges in horreis repositae attulerunt priscis avis. Maiores enim Tibulli, opes ingentes, fundos latissimos possederant.

V. 43. *Seges*, agellus, praediolum. Vel *parva seges*, ital. *tenue raccolto*.

V. 44. *Toro*, h. e. in torum. *Torus* interdum significat culcitam, quae imponebatur lecto triclinari. Communius *torus* pro lecto discubitorio, *lectum* in quo somno fruituri quiescimus, accipitur.

V. 45. *Cubantem*, iacentem, lecto requiescentem.

V. 47. *Fuderit*, effundit frigidas aquas.

V. 48. *Imbre iuvante*, pluvia conciliante. Pluvia enim lente decidens, blando frigore somnum conciliat.

V. 50. *Tristes Hyadas*, horridas procellas, vel pluvias. Hyades enim sunt septem stellae in Tauri capite collocatae, quibus vel orientibus, vel occidentibus, magnae tempestates et pluviae exsistunt.

V. 51. *Messala*. M. Valerius Corvinus Messala ex Valeriorum familia, Tibulli patronus, eloquentissimus fuit, patriae amantissimus, et omni virtute ornatus.

V. 52. *Praeferat*, affixas monstret, ostentet tua domus.

» *Exuvias*. Consuetudo Romanis maxime solemnis. Livius lib. 10. *Quorum domos spoliis hostium insignes inter alias feceritis*.

V. 53. *Laudari curo*. Hic mos laudandi strenuos milites pro concione, eosque praemiis honestandi, a Tarquinio Prisco acceptus, ad reliquos Romanorum duces, quasi per manus traditus, deinceps pervenit.

V. 54. *Seges*, agellus, ut supra. Seges enim, ut Varro docet, est quod aratum est, sed nondum satum.

» *Quaeso*, ital. *deh*.

V. 56. *Cupidis*, avidis divitiarum. Militum genus avaritiae insimulat; seque a militia libenter abstinere significat, quod pecuniis aequo animo carere possit.

V. 57. *Composito acervo*, ital. *fatto che avrò il mio pagliaio, fatta la raccolta*. Significat Poeta se tranquillum omnino fore, ac laetitiae operam daturum *condita post frumenta*, ut Horatius loquitur. Ep. I. Lib. 2.

V. 58. *Despiciam*, neque opum cupiditate, neque rursum egestatis metu torquebor; ital. *mi riderò*.

ELEGIA II. (*)

Ferreus ille fuit, qui, rus quum posset habere,
  Maluerit praedas stultus et arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
  Ponat et in capto Martia castra solo;
Totus et argento contextus, totus et auro, 5
  Insideat celeri conspiciendus equo:
Ipse boves, mea, sim tecum modo, Delia, possim
  Iungere, et in solo pascere monte pecus.
Carpere, dum liceat, placidam per membra quietem,
  Mollis et inculta sit mihi somnus humo. 10
Quid Tyrio recubare toro sine mente serena
  Prodest, quum curis nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumae, nec stragula picta soporem,
  Nec sonitus placidae ducere posset aquae.

Arg. Eleg. II. *Otia ruris, parva licet, potiora esse vel maximis divitiis, quae inter armorum sollicitudines, secunda fortuna, comparantur, suimet exemplo contendit.*

V. 3. *Ille licet agat.* Ital. *cacci pur a sè dinanzi.*
» *Cilices*, populi Asiae minoris ad montem Taurum.
V. 5. *Argento contextus*, veste argento contexta indutus.
V. 11. *Tyrio toro*, vestibus stragulis Tyria purpura lufectis.
» *Sine mente serena*, cum animus turbatur curis. *Non avium, citharaeque cantus somnum reducent*: inquit Hor. Odarum lib. 3.

(*) Haec Elegia, iudicio cl. Vossii (Praefat. pag. XXIII.), errore librariorum aliae annexa fuerat; quapropter minime mireris vellem, si tibi seiunctim proponitur.

ELEGIA III.

Ibitis Aegeas sine me, Messala, per undas;
  O utinam memores, ipse cohorsque, mei!

Arg. Eleg. III. *Quum adversa valetudine Corcyrae detineretur quominus Messalam patronum suum in expeditione Syriaca sequi posset, longa itinera damnat, seque mox ad Elysios morte obita migraturum sperat.*

V. 1. *Ibitis.* Messalam alloquens, utitur verbo multitudinis, quod is cum exercitu et cohorte in Syriam proficisceretur, et plurimis praefectus esset: non igitur ad imperatorem solum, sed ad imperatorem simul et comites orationem convertit.
V. 2. *Ipse cohorsque.* Comites prae-

Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris;
  Abstineas, avidas, Mors, precor, atra manus.
Abstineas, mors atra precor: non hic mihi mater, 5
  Quae legat in moestos ossa perusta sinus:
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
  Et fleat effusis ante sepulcra comis:
Delia non usquam est, quae me quam mitteret urbe,
  Dicitur ante omnes consuluisse deos. 10
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
  Retulit e triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita nunquam,
  Quin fleret nostras, respiceretque vias.
Ipse ego solator quum iam mandata dedissem, 15
  Quaerebam tardas anxius usque moras.

sidum, proconsulum, praetorum, qui cum imperio in provincias mittebantur, cohortem appellavere. Ab hac voce derivatur vox italica *Corte*, qua utimur ad significandam aulam virorum principum, et aulicos, qui eisdem praesto sunt.

V. 3. *Phaeacia*, Corcyra, olim Scheria, hodie *Corfù*, insula maris Ionii, quam Phaeaces habitaverunt.

V. 5. *Mater*, quae scil. mansit Romae.

V. 6. *Quae legat*. Hoc officium legendi ossa mortuorum, quae ex igne rogi reliqua essent, pertinebat ad proxima consanguinitate coniunctos. Moesta colligat ossa in sinus atrae vestis.

V. 7. *Assyrios odores*, quae unguenta Syriaca, et gentium Syriae vicinarum, magno sumtu parata in urnam recondat.

» *Dedat*, dicet, sacret, offerat.

V. 9. *Non usquam est*, hic Delia non comparet, longe abest.

V. 9. 10. *Quam .... ante*, pro *antequam*.

V. 9. *Mitteret*, dimitteret, ital. *prima di congedarmi, di farmi partir da Roma.*

V. 10. *Consuluisse*, responsa oraculorum petivisse, vatum et sacerdotum sententiam rogasse.

V. 11. *Pueri sortes*. Praenestinas et Autiatinas sortes videtur Delia consuluisse, quarum fama celeberrima. *Pueri sortes* appellat, quoniam *Fortunae monitu, pueri manu miscebantur, atque ducebantur*, ut Cic. l. 2. de Divinat. c. 84. Sacras sortes per pueri manus ex urna ducendas curavit. Praeneste et Autii Fortuna templum habebat.

V. 12. *E triviis*. Aliud genus divinationis memorat, nempe omina, quae plerumque capiebantur ex pueris in trivio forte fortuna praetereuntibus. Veteres illi superstitiosi vocem quamlibet transeuntium subito auditam, ominis loco habebant. Puer igitur e triviis retulit Deliae omina certa, quod, nimirum puer aliquis casu praeteriens vocem miserit faustae significationis.

» *Retulit*. Vossius scribit *Rettulit*; at sine illa geminatione praepositionem *re* produci posse censet Forcellinus, aliique.

V. 13. *Est deterrita*. Probe sciebat Delia, flere ac saepe respicere in discessu carorum triste aliquid portendere, malisque omnibus annumerari; nihilominus, dolore victa, non poterat a lacrimis temperare, seque cohibere, quin identidem me abeuntem respiceret.

V. 15. *Ego solator*, qui solari Deliam conabar; eiusque dolorem verbis lenire.

» *Mandata dedissem*, ital. *dopochè le avea già dati gli ordini opportuni.*

V. 16. *Vsque*, sine fine.

» *Moras*, morandi, cunctandi causas.

Aut ego sum causatus aves, aut omina dira,
  Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties, ingressus iter, mihi tristia dixi
  Offensum in porta signa dedisse pedem! 20
Quid tua nunc Isis mihi, Delia: quid mihi prosunt
  Illa tua toties aera repulsa manu?
Nunc, dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
  Picta docet templis multa tabella tuis:
Vt mea votivas persolvens Delia poenas, 25
  Ante sacras lino tecta fores sedeat,
Bisque die resoluta comas, tibi dicere laudes
  Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
  Reddereque antiquo menstrua tura Lari. 30

V. 17. *Causatus*, ital. *allegai per iscusa*, praetexui auspicia, aut sinistra auguria.

V. 18. *Saturni diem*. Ominosum fuit, plenumque aleae, Saturni die, seu sabbato, in viam se dare. Vtrum a Iudaeis ritum hunc traduxerint, ipse videris. Certe Ovidius dixit: *Quaque die redeunt rebus minus apte gerendis, Culta Palaestino septima sacra Syro*.

V. 20. *Offensum pedem*, in limine portae, mihi infausta portendisse. Erat enim hoc quoque inter mala omina.

V. 21. *Isis*. In Isidis fide ac tutela fuisse navigantes ostendit Turnebus Advers. l. 16. c. 4. Tibullo propterea iter maritimum suscepturo, Delia Isidi supplicaverat pro ipsius salute; nam eo tempore superstitiones Aegyptiae Romae regnabant.

V. 22. *Aera repulsa*. Sistrum Aegyptiacum intelligit, quo Isidis sacerdotes in huius deae sacris utebantur. Immo Isis ipsa cum sistro fingebatur.

» *Repulsa*, pulsa, percussa.

V. 23. *Mederi*, te posse me sanum reddere.

V. 24. *Docet*, indicat, ostendit, argumento est.

» *Multa tabella picta*, ital. *i molti voti appesi no' tuoi tempj*.

V. 25. *Votivas poenas* .... mulctam videlicet, quam sibi voto imposuit. Non placet *votivas noctes*. Laudes enim Isidis de die, non de nocte canebantur. Alii *voces*. *Votivae voces* idem sunt prorsus ac *votiva carmina*, de queis Ovid. *Votivaque carmina reddam*. Nec mirum, Deliam pro salute Tibulli hymnum votivum Isidi *salutari* nuncupasse, Illumque, si placet, bis per diem inter Isiacos ceciuisse, vel ex 27. versu cernes.

V. 26. *Lino tecta*, linea veste cooperta. Lineis enim vestibus, tamquam omnium purissimis, operiebantur Isiaci.

» *Fores*, templi tui. Non enim in templis, sed in templorum vestibulis sedebant.

V. 27. *Bisque die*. Hora diei prima sacerdotes Isidis templum aperiebant, deinde salutabant deam, postea, moto e sede sua simulacro, id asello impositum circumferebant, totum diem stipem emendicantes. Postremo ad octavam redibant, deam componebant, templum claudebant. Laudes igitur deae ab Isiacis bis die canebantur, nimirum et quum deam salutarent, et antequam templum claudereut.

V. 28. *Insignis*. Dicit insignem, quod comata esset inter calvos: nam Isiaei raso capite incedebant. Spectanda, distincta solutis capillis.

» *Turba in Pharia*, in turba Aegyptiaea sacerdotum; nam Pharos insula est prope Alexandriam, a qua saepius Pharius pro Aegyptiaco usurpatur.

V. 29. *At mihi*, mihi vero, quum sanitati restitutus domum incolumis rediero, contingat; ital. *tocchi la sorte*.

V. 30. *Reddereque*, et quolibet mense offerre tura antiquis Laribus. Curabant enim Lares, aut Vulpius, eorumque armarium aperiebant singulis Kalendis. Nonnumquam autem et nascente Luna rem divinam iis faciebant.

Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
  Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contemserat undas,
  Effusum ventis praebueratque sinum.
Nec vagus, ignotis repetens compendia terris, 35
  Presserat externa navita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus:
  Non domito froenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit: non fixus in agris,
  Qui regeret certis finibus arva, lapis. 40
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
  Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec ensem
  Immiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Iove sub domino caedes, nunc vulnera semper, 45
  Nunc mare, nunc leti multa reperta via.
Parce, pater; timidum non me periuria terrent;
  Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
  Fac lapis hic scriptus stet super ossa notis: 50

HIC . IACET . IMMITI . CONSVMTVS , MORTE . TIBVLLVS
MESSALAM . TERRA . DVM . SEQVITVR . QVE . MARI.

Sed me, quod facilis pressi vestigia Phoebi,
  Ipse deus campos ducet in Elysios.
Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
  Dulce sonant tenui gutture carmen aves.

V. 34. *Sinum*, nempe velorum, vela expansa ventis commiserat.

V. 35. *Compendia*, lucra quaerens in regionibus ignotis.

V. 36. *Presserat externa merce*, oneraverat navem peregrinis mercibus.

V. 38. *Domito*, pro *equus domitus*. Hoc Lapithis tribuit antiquitas.

V. 40. *Regeret*, distingueret praedia.

V. 41. *Vltroque ferebant*, nullo cogente offerebant, obviam ibant cum mammis lacte refertis.

V. 42 *Securis*, tranquillis, felicibus illis gentibus.

V. 43. *Duxerat*, procuderat.

V. 45. *Sub domino*, Iove dominante.

V. 45. *Vulnera*, occisiones fiunt.

V. 46. *Mare*, est mare caussa mortis.

» *Via*. Multa forma, multum genus mortis. Alii .... *nunc leto mille repente viae*. - Mille viae leto repentino, inopinato.

V. 47. *Pater*, Iuppiter.

» *Terrent*. Scelerum sibi conscii timere solent, ne a diis immortalibus merito supplicio puniantur. Tibullus contra, quod nec peieraverit, nec deos maledictis laeserit, fiduciae plenus est.

V. 49. *Fatales*, si nunc annorum numerum a Parcis et fato praescriptum iam absolvimus.

Fert casiam non culta seges, totosque per agros
  Floret odoratis terra benigna rosis.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda
  Abdita, quam circum flumina nigra sonant: 60
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
  Saevit; et huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus oro
  Stridet, et aeratas excubat ante fores.
Illic Iunonem tentare Ixionis ausi 65
  Versantur celeri noxia membra rota;
Porrectusque novem Tityos per iugera terrae
  Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna; sed acrem
  Iam iam poturi deserit unda sitim. 70
Et Danai proles, Veneris quae numina laesit,
  In cava Letheas dolia portat aquas.

V. 57. *Non culta seges*, terra non arata producit casiam, quae, sive herba, sive frutex, sive cortex (non enim liquet), olim ad unguentum maximi pretii conficiendum adhibebatur: ac si Plinium spectes, Malabaricae Caoellae, seu Crocamomo respondet.

V. 58. *Benigna*, fertilis.

V. 59. *Scelerata sedes*, at iacet, inferius sita est habitatio scelerata, vel sceleratorum, sepulta in tenebrosa caligine: Tartarus scil. ubi aeterois poenis homines impios torqueri etiam antiquis constabat.

V. 61. *Impexa*, capillorum loco cincta caput impexis (*scompigliati*) horridisque serpentibus.

V. 62. *Saevit*, saevit flagello, et impios persequitur, qui ante illam palantes diffugiunt.

V. 63. *Niger Cerberus*. Etiam huic inferorum ianitori pro villis et iuba tribuerunt angues.

V. 65. *Ixionis*. Ixion, Phlegyae filius, qui a Iove mensae deorum adhibitus, ob intentatum scelus a Iove ultore in Tartarum detrusus est, ibique rotae alligatus, quae sine ulla intermissione noctes et dies volveretur.

V. 67. *Tityos*. Vnus ex gigantibus, qui sagittis Apollinis ad inferos detrusus est: ubi iecur duobus vulturibus depascendum praebere cogeretur, toties renascens, quoties absumtum esset. - Tantae hic magnitudinis fuisse dicitur, ut novem iugera humi iacens occuparet.

V. 68. *Assiduas aves*, vultures sine intermissione illi inhaerentes.

» *Atro viscere*. Hepar seu iecur significat, quod colore est nigricanti.

V. 69. *Tantalus*, Iovis filius ex Plote nympha. Hic ob filium Pelopem iugulatum, et diis in convivio appositum, vel, sicut alii tradiderunt, ob arcana deorum revelata, ad inferos detrusus est; ubi arboris impendentis poma recedentia frustra captaret, fontisque aquam sitiret, quae semper ab eius labiis refugeret.

V. 71. *Danai proles*, Danai filiae, quae nocte ipsa nuptiarum maritos occiderunt. Quod tamen ex quinquaginta Danai filiabus fecerunt quadraginta octo; nam duae reliquae sponsis pepercerunt, Lynceo quidem Hypermestre, Hippolyto autem Bebryca. - Vt commissi facinoris poenas luerent, apud inferos in dolia pertusa ac rimarum plena aquam infundere coactas, tradunt Poetae; ita ut assiduus labor nihil proficeret, subtus effluente quidquid supra infunderetur.

V. 72. *In cava dolia*, fundo pertuso et plena rimarum.

At tu, casta, precor, maneas, sanctique pudoris
  Assideat custos sedula semper anus.
Haec tibi fabellas referat, positaque lucerna 75
  Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa gravibus pensis adfixa puella
  Paullatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, ne quisquam nuntiet ante;
  Sed videar caelo missus adesse tibi. 80
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
  Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis Aurora nitentem
  Luciferum roseis candida portet equis.

V. 73. *At tu*, Deliam ad virtutem hortatur.
V. 74. *Anus*, nutricem seu matrem Deliae intellige.
V. 77. *Puella*, ancilla. Vnam dixit, sed plures ancillas videtur significare.
V. 78. *Fessa*, somno victa.
» *Remittat opus*, sibi de manibus effluere fusum sinat; ital. *si lasci cader dalle mani il lavoro, il fuso*.
V. 80. *Adesse*, ital. *comparirti avanti*, tamquam missus e caelo. Qui non expectati subito aderant, vel graviter laborantibus in tempore praesto erant. caelo mitti, vel descendere, dicebantur.
V. 81. *Qualis eris*, ital. *qual ti troverai*.
V. 82. *Nudato pede*, sine soleis. Matres familiarum et puellae ingenuae plerumque in lectulis sedentes lanam faciebant. Ne vero stragula inquinarentur, soleas deponebant. In subitis itaque casibus, ne calceandis pedibus tempus insumerent, sine soleis exsiliebant.
V. 83. *Precor*, cupio.
V. 83. 84. *Hunc illum nitentem Luciferum*, hunc talem spleudidum, felicem diem.
V. 84. *Equis roseis*, roseo curru. Auroraе bigam tribuit etiam Albinovanus.

ELEGIA IV.

Rura colam, frugumque aderit, mea Delia, custos,
  Area dum messes Sole calente teret;
Et mihi servabit plenis in lintribus uvas,
  Pressaque veloci candida musta pede;
Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam, 5
  Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

Arg. Eleg. IV. *Spes de vita feliciter ruri peragenda inaniter conceptas exponit.*

V. 2. *Area dum messes.... teret*, pro *dum terentur messes in area*.
V. 3. *Plenis in lintribus. Lintres* sunt alvei, quibus uvae portabantur in vindemia.
V. 4. *Candida musta*. Pl. hist. nat. XXIII. *Vinum album infirmis ad omnia ait*. Hoc vero de usu medicinali intelligas, nam vel hoc ipso tempore vina alba Vrbevetana, Montis Politiani, et ut nostra quoque attingam, Hastae Pompeiae, vel absteniis ipsis probantur.
V. 5. *Illa deo agricolae*. Vulp. deos agriculturae praesides omnino intelligit. Heyn mavult Priapum.
V. 6. *Pro segete*. Syllaba *te* producitur, nam initio vocis sequentis duae sunt consonantes.

Illa regat cunctos, illi sint omnia curae,
Et iuvet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messala meus; cui dulcia poma
Delia selectis detrahat arboribus, 10
Et, tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.
Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.

V. 6. *Ferre dapem*. Daps, teste Festo, dicebatur res divina, quae fiebat aut hiberna semente aut verna: hic vero a primitiis foeturae non abludere facile dabo.

V. 7. *Regat*, ut *curet*, *detrahat* etc., eleganter; nam coniunctivus ad indicativum futuri proxime accedit. Sic Virg. Ecl. v., 8. *certet* pro *certabit*.

V. 11. *Venerata* pro *venerans*, sic *operatus* apud Virg. Geor. I., 339.

V. 11. *Virum*. Negligit ecthlipsim ratione subsequentis adspirationis, quae aliquando vim consonantis obtinet.

V. 13.-14. *Eurus* cum *Noto* pro quolibet vento; sicuti et *Armenii odorati*, scilicet aromatum divites, pro qualibet remotissima orientali regione usurpavit.

ELEGIA V.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo:
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere: novos pubes Romana triumphos 5
Vidit, et evinctos brachia capta duces.

ARG. ELEG. V. *Celebrat Messalae natalem diem, opportune ad eius victorias recensendas, multarumque regionum laudes excurrens.*

V. 1. *Cecinere*, praedixerunt.

» *Parcae*, tres sorores, Herebi et Noctis filiae, quarum nomina Clotho, Lachesis, Atropos. Finguntur vitae hominum praeesse, et nendo eamducere.

V. 2. *Non dissoluenda*, ital. *da non potersi disfare da alcun dio*. Veteres enim, etsi deos esse faterentur, illos tamen, ne Iove quidem excepto, fato resistere, illudque mutare posse negabant. Parcae autem, fatum, necessitas erant tantum nomina diversa.

V. 3. *Hunc*, Tribuit diei natali Messalae res ab eo praeclare gestas: ab illo enim die pendere existimabant quidquid homini contigisset in vita.

» *Aquitanas gentes*. Aquitania, nunc *la Guienna e la Guascogna*, Augusti Caesaris beneficio maiorem, quam antea, latitudinem accepit: patuit enim a Pyrenaeis ad flumen Ligerim.

V. 3. *Fundere*, dissipare, atque in fugam versas dispergere.

V. 4. *Tremeret*, valde formidaret. Subaudi debet particula *ob*, vel *propter*.

» *Atur*, hodie *l'Adour in Guascogna*. Atures et Aturenses dicti fuerunt populi, qui regionem iuxta fluvium Aturum incolebant. Nonnulli ex MSS. malunt reponere *Atax*, qui fluvius uti Arar et Rhodanus Galliam Narbonensem alluit.

V. 5. *Evenere*, ea scil., quae Parcae praedixerant.

» *Novos triumphos*. Messala Corvinus de Aquitanis triumphum egit anno V. C. D. CC. XX. VI.

V. 6. *Evinctos duces*. Hostium duces bello capti currum victoris triumphantis praecedebant, ligatis brachiis, et in tergum retortis.

» *Brachia capta*, captiva; vel duces hostium bello captos brachiis revinctis.

At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani litora Santonici. 10
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi caerula lympha Liger.
An te, Cydne, canam tacitis qui leniter undis
Caeruleis placidus per vada serpis aquis?
Quantus et, aethereo contingens vertice nubes, 15
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba Syro?

V. 7. *At te*, te vero redimitum triumphali lauro.

V. 9. *Non sine me*. Tecum enim, et sub imperio tuo ego quoque militavi.

» *Tarbella Pyrene*. Caesar l. 3. Belli Gall. c. 47. Tarbellos primo loco numerat in gentibus Aquitanis. Eorum autem sedes fuerunt a Pyrenaeo iugo ad flumen Aturum, et circa illum haud longe ab Oceano. - Tarbelli hodie *Béarn*.

V. 10. *Santonici*. Santones gens Aquitanica Oceanum attingens, porrecta inter Ligerim et Garumnam, hodie *Saintonge*, *Santogna*.

V. 11. *Arar*, *Rhodanus*, *Garumna*, Tres fluvii celeberrimi, hodie *la Saône*, *le Rhône*, *la Garonne*.

» *Celer*. Celerem Rhodanum vocat, in quem videlicet influit Arar segnis et cunctabundus, et a quo cum Isara et Druentia, pluribusque aliis minoribus, magno impetu in Mediterraneum mare defertur.

» *Garumna*, ortus in Pyrenaeo, mediam Aquitaniam percurrit, et in Aquitanicum Oceanum excipitur.

V. 12. *Carnuti*, Carnuti, qui et Carnutes, et Carnuteni, populi Galliae Celticae, Ligerim fluvium attingentes ad septentrionem. Hodie *pays de Chartres*.

» *Flavos* appellant a colore capillorum.

» *Liger*, hodie *la Loire*, Gallicorum fluminum nobilissimus, et cursu longissimo; olim finiebat Aquitaniam, ex Augusti descriptione.

» *Caerula lympha*. Liger caeruleus fluvius Carnuti, idest aequoreus fluvius, qui suis aquis in aequor influit. Oceanum enim ingreditur, et efficit aestuaria.

V. 13. *Cydnae*. Hactenus de Aquitanica Messalae victoria et triumpho: nunc alio transit. Res gesserat Tibulli patronus triennio ante in Cilicia, Syria, Aegypto: quamobrem Poeta regionum quoque illarum mentionem facit. Cydnus fluvius campestrem Ciliciam secat, insignis et maximus.

» *Leniter*, sine strepitu.

V. 14. *Caeruleis aquis*, inter marinas aquas serpis per loca vadosa, littori proxima. *Caeruleas aquas* vocat sinum maris Issici, in quem sinum amnis Cydnus evolvitur.

V. 15. *Quantus*, quam magnus erigens se sublimi cacumine ad nubes frigidus Taurus. Mons hic asperrimus ac praeruptus Ciliciam a Pamphylia et Isauria iugis suis separabat.

V. 16. *Arat*, dividit, secat, dirimit ab aliis gentibus. Alii *alat*, nixi auctoritate Strabonis, qui montem hunc maxime fertilem scribit. Scaliger per hypallagen explicat, scilicet *Cilices arant Taurum*.

» *Frigidus*. Frigidum vocat Taurum, quod montium excelsorum proprium est, ut frigidi sint.

» *Intonsi Cilices*, sunt inculti, male pexi, utpote latrociniis et venatui operam dantes, sub dio agentes, atque a deliciis omnino alieni.

V. 17. *Crebras per urbes*. Indicat Syriam Palaestinam regionem fuisse populosam, et urbibus frequentem.

» *Intacta*, illaesa. Nam Syri columbas violare nefas putabant, quae sacrae ipsis erant. Piscibus etiam abstinebant. Palaestina regio est in Syria, Arabiae confinia.

Digitized by Google

Vtque maris vastum prospectet turribus aequor,
  Prima ratem ventis credere docta Tyros? 20
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
  Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere causa,
  Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres, 25
  Arida nec Pluvio supplicat herba Iovi.
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
  Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
  Et teneram ferro sollicitavit humum: 30
Primus inexpertae commisit semina terrae,
  Pomaque non notis legit ab arboribus:

V. 20. *Prima Tyros*. Tyrii, gens Phoenicia, mercaturae dediti, navigationem quoque coluerunt. Observabant veru Tyrii minorem Vrsam, seu Cynosuram; eaque potissimum duce itinera sua maritima dirigebant. Ceterum, qui primus mortalium navigandi artem vulgaverit, non convenit inter auctores.

» *Docta*, prima, quae inter alias urbes perita exsisteret committendi naves ventis.

V. 21. *Sirius*, stella est in ore Canis, quae a Latinis *Canicula* dicitur. Ad hanc Sol accedit mense Iulio, quo tempore calores maximi sunt, et Nilus exit, totamque Aegyptum inundat, eamque limo foecundat.

V. 22. *Aestiva aqua*, aquis abundet, intumescat, mensibus aestivis. Vide Plinium hist. nat. l. v. c. 9.

V. 23. *Nile pater*. Commune fluvis omnibus *patris* nomen. De occultis Nili fontibus apud veteres omnia vulgata. Vide Plinium l. v. c. 9. Posterioribus temporibus compertum est, ex intima Aethiopiae regione ad Austrum nasci; unde per varios circuitus, longosque multarum regionum tractus per Aegyptum septem ostiis in Mediterraneum se exonerat.

V. 26. *Pluvio Iovi*. Variae tempestates varia Iovi cognomina indiderunt. Iovis Pluvii simulacrum poetica elegantia expressum visitur Romae in columna M. Antonini. Senex in ea fingitur Juppiter, promissa barba et capillo, brachiis expansis, unde imbres copiosi decidunt.

V. 27. *Te canit*, te celebrat, o Nile, barbara illa gens Aegyptia, et veneratur tamquam suum Osirim. *Osiris*, Iovis filius ex Niobe, qui, gloriae desiderio, Argivorum regnum relinquens, ad Aegyptios transfretavit, eosque subegit. Isidem Inachi primi Argivorum Regis filiam uxorem duxit, Aegyptios varias artes docuit, eumque Iside diviuos honores meruit. A Sityphone Aegyptio clam occisum, diu Isis quaesivit. Quem quum laceratum tandem reperisset, sepeliendum curavit in insula Memphi proxima, quo sacerdotes tantum certis diebus, eosque mitratos accedere voluit. Sed quum apparuisset Aegyptiis deinde bos quidam, Osirim putarunt, adoraveruntque ut deum, et Apim vocarunt; deinde Serapis dictus est. Quum hic bos in sacerdotum fonte mersus occiderat (non licebat enim eum certos vitae annos excedere) plangebant, scilicet planctu eum quaerebant, luctumque continuabant, donec alium priori simillimum invenissent.

V. 28. *Memphyten*, Aegyptium a Memphi scilicet, quae urbs inter Aegyptias olim princeps.

V. 29. *Primus*. Res gestas ab Osiride, ac beneficia in humanum genus collata, sed praecipue in Aegyptios, diligenter enumerat Diodorus Siculus lib. 1. Biblioth.

V. 30. *Et teneram*. Intactae antea telluris aduneo vomere glebas movit. Nam *sollicitare* est loco movere. *Teneram*, vel aratro cedentem vel recentem. Nam Aegyptii plurimas annorum *myriadas* ab ortu rerum dinumerabant, et Osirim deum antiquissimum iactabant.

Hic docuit, teneram palis adiungere vitem;
  Hic viridem dura caedere falce comam:
Illi iucundos primum matura sapores 35
  Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
  Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolae magno confecta labore
  Pectora tristitiae dissoluenda dedit. 40
Bacchus et adflictis requiem mortalibus adfert,
  Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curae, nec luctus, Osiri,
  Sed chorus, et cantus, et levis aptus Amor:
Sed varii flores, et frons redimita corymbis; 45
  Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,
Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu,
  Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, et centum ludis Geniumque choreis
  Concelebra, et multo tempora funde mero. 50
Illius e nitido stillent unguenta capillo;
  Et capite et collo mollia serta gerat.

V. 39. *Confecta*, fracta, contusa rustico opere.

V. 40. *Tristitiae dissoluenda dedit*, scil. dissolveuda a tristitia, more Graecorum, casu patrio usus pro ablativo; a tristitia dissolvit, recreavit.

V. 42. *Pulsa*. Etiam mancipia in ergastulo, seu carcere rustico vincta, largiore vini potu hilarantur, et miseriarum obliviscuntur.

V. 43. *Nec luctus*, nec facies tristis et severa apud le locum habet.

V. 44. *Chorus*. Choreae.

» *Levis*, vel alatus, vel inconstans; utpote qui leves et inconstantes facit.

» *Aptus*, conveniens.

V. 45. *Corymbis*, baccis hederae, qua Liber pater coronabatur.

V. 46. *Fusa*, porrecta ad delicatos pedes tunica. Puellari enim cultu Bacchus gaudebat. Palla fuit vestis muliebris exterior. Luteus autem, sive croceus vestium color diis hominibusque voluptariis in usu erat.

V. 47. *Tyriae vestes*. Nam et purpura Bacchus utebatur.

» *Dulcis cantu*, grata ob sonum.

V. 48. *Et levis cista*, et tenuis cista continens occulta mystica sacra. In sacris Liberi patris occulta quaedam et mystica cistis inclusa circumferri solebant; unde mulieres *cistophorae*.

V. 49. *Huc ades*. Bacchum, sive Osirim, festo in Genii honorem celebrando interesse velit.

» *Centum*, variis, multis ludis et choreis. Suspicatur Heyn., ni forte melius legeretur: *Et Genium ludo Geniumque choreis*.

» *Genium*. Non locis tantum, sed etiam hominibus singulis Deum assignabant, quem *Genium* dicebant: totque Genios credebant esse, quot homines nascerentur.

V. 50. *Tempora funde mero*, non quod caput vino spargerent, sed quod nimio vini meracioris potu caput gravatur. - Perfunde tibi caput, aggrava largiore vini potu.

V. 51. *Illius*. Genii.

V. 52. *Et capite*. Luxuria veterum haec fuit, non solum caput sertis redimire, quum genio indulgerent; sed etiam collo coronam circumponere.

Sic venias hodierne: tibi dem turis honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi subcrescat proles, quae facta parentis 55
Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceant monumenta viae, quem Tuscula tellus
Candidaque antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur: hic apta iungitur arte silex. 60
Te canet agricola, o magna cum venerit urbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu, Natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorque veni.

V. 53. *Hodierne*, pro *sic venias hodie*, o Geni.

» *Dem*, offeram. Ture in ignem indito te honorabo; et offeram dulcia liba Attico melle condita. *Libum*, epulae solennes, quae Genio offerebantur, et amicis etiam mittebantur.

V. 54. *Mopsopio*, quod Mopsopus fuerat antiquus Rex Athenarum.

V. 55. *At tibi*. Convertit sermonem ad Messalam.

V. 56. *Veneranda*, h. e. rebus gestis et honoribus conspicua.

V. 57.-58. *Nec taceant*, nec celebrare desinant memorabile, magnificum opus viae, is *quem detinet Tuscula tellus*, scil. qui Tusculi habitat, Tusculani; et is, *quem detinet Alba candida antiquo lare*, qui domos antiquas incolit candidae Albae, scil. Albani. Nam Messala viam Latinam, vel novam, vel vetustate dirutam, pecunia sua stravit, magno advenientium ad urbem commodo.

V. 58. *Candida* dicitur Alba, quia dicitur Aeneas albam porcam cum triginta foetibus eiusdem coloris ibi comperisse.

V. 60. *Apta arte*, artificio convenienti, ac tanto, ut aeternum hanc viam duraturam ex ipso Martiali colligas, ubi ille sibi immortalitatem pollicetur. *Et quum rupta situ Messalae saxa iacebunt, Me tamen ora legent.*

ELEGIA VI.

Quid mihi, si fueras miserum laesurus amicum,
Foedera per divos, clam violanda, dabas?
Ah miser! etsi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.
Parcite, caelestes; aequum est impune licere 5
Numina pauperibus laedere vestra semel.

Arg. Eleg. VI. *Amicum incusat, quod vi munerum captus, pactam sibi fregerit fidem.*

V. 1. *Quid mihi*. Vt quid dabas mihi promissa, te pollicitam servaturum fidem, si haec omnia clam eras paratus violare.

V. 4. *Poenam*, deam ultricem, unam Furiarum, atque a Nemesi diversam censet Vossius.

V. 6. *Numina laedere*, nempe periurio. Poetam agnosce; salse enim pauperiem amici perstringit, nihilque non lucro fieri contendit.

Lucra petens habili tauros adiungit aratro,
  Et durum terrae rusticus urget opus;
Lucra perituras freta per parentia ventis
  Ducunt instabiles sidera certa rates. 10
Muneribus tacitis est captus miser; at Deus illa
  In cinerem et liquidas munera vertat aquas.
Admonui quoties: auro ne pollue mores,
  Saepe solent auro multa subesse mala.
Tunc mihi iurabas, nullo te divitis auri 15
  Pondere, nec gemmis vendere velle fidem;
Non, tibi si pretium Campania terra daretur,
  Non, tibi si Bacchi cura, Falernus ager.
Tum miser interii, stulte confisus amari;
  Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos. 20
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam,
  At me nunc nostri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
  Torreat, et liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc, scelerate, fidem cui vendere cura est, 25
  Et pretium plena grande referre manu.

V. 10. *Sidera certa*, quia certum navibus cursum indicant.
V. 12. *In cinerem*, ad nihilum redigat: ita Prop. *Haec videam rapidas in vanum ferre procellas, Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua.*
V. 15. *Divitis auri*, quod divitem reddit, divitias continet.
V. 17. *Campania terra*. Nomina terrarum, maxima saltem ex parte adiectiva fuisse videntur. Hic porro Campaniam (maxime fertilem Neapolitani regni regionem, ital. *Terra di lavoro*) pro quavis feracissima posuit.
V. 18. *Falernus ager* et ipse Campaniae intra fines est, vino celeberrimus.
V. 20. *Ad laqueos*, ad fraudes simulationis.
V. 25. *Tu procul*, ira incenditur, perfidumque procul abesse iubet.

ELEGIA VII.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
  Quam ferus et vero ferreus ille fuit!
Tunc caedes hominum generi, tunc praelia nata:
  Tunc brevior dirae mortis aperta via est.

Arg. Eleg. VII. *Ad bellum iturus, militiam detestatur, et pacis otia laudat.*

V. 1. *Quis fuit primus*. Inventionem ferri, et armorum fabricandorum, sunt qui referant ad Chalybas gentem Ponticam, sunt qui ad Cyclopas, vel ad Dactylos Idaeos.
V. 2. *Ferus*, crudelis.
» *Ferreus*, immitis, ferreo corde.

At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra 5
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves. 10
Tunc mihi vita foret; vulgi nec tristia nossem,
Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor: et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem, 15
Cursarem vestros quum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
Sic veteris sedes incoluistis avi
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede deus. 20
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctae spicea serta comae.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis aerata, Lares, depellite tela: 25
Hostia erit plena rustica porcus hara.

V. 5. *Nihil meruit*, nullam commeritus est poenam, vel reprehensionem, quisquis ille fuit primus gladiorum inventor.

V. 8. *Faginus* pro *fagineus*.

» *Adstabat*, stabat in mensa. Huiusmodi poculis utebantur veteres in sacris. Idcirco dapum hic mentionem facit; dapsenim proprie significat carnem victimae occisae diis oblatam.

V. 9. *Vallus*, munimenta.

» *Petebat*, somno se dabat custos gregis.

V. 10. *Securus*, tranquillus, quietus inter oves varii coloris, albas puta, nigras, maculosas.

V. 11. *Tunc mihi*, subaudi *utinam*. *Foret* autem dixit pro *fuisset*. Vtinam tunc ego vixissem, nec novissem funesta arma!

V. 11.-12. *Vulgi arma*, quae vulgaribus hominibus conveniunt.

V. 12. *Micante*, tremente, palpitante.

V. 13. *Trahor*, ire cogor scil.

» *Quis*, aliquis.

V. 14. *Haesura*, quae haerebunt, figentur.

V. 15. *Sed patrii*. Commendat se Laribus domesticis, diis nimirum patriis, ut quandoquidem ad bellum itorus est, a latere suo tela hostium detorqueant.

» *Aluistis*, ital. *m'allevaste*, alumnus vester sum.

V. 16. *Cursarem*, quum puer currebam ludens.

V. 21. *Libaverat*, avse primitias obtulerat.

V. 22. *Spicea serta*. Corona spicea Cereris propria fuit; sed et Cererem diis domesticis, et Laribus rusticis annumerabant.

V. 23. *Voti compos*, ital. *ottenuta la grazia*.

V. 24. *Postque*, et post ipsum tenera filia, quae eum comitabatur, offerebat favum.

V. 25. *Aerata*. Hastas ferratas a nobis arcete.

V. 26. *Hostia erit rustica*, cadet vobis porcus rustica victima e pleno stabulo.

Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
  Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
  Sternat et adversos, Marte favente, duces. 30
Vt mihi potanti possit sua dicere facta
  Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem!
  Imminet, et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta; sed audax 35
  Cerberus, et Stygiae navita turpis aquae.
Illic exesisque genis, ustoque capillo
  Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem, prole parata,
  Occupat in parva pigra senecta casa! 40
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
  Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
  Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat: Pax candida primum 45
  Duxit araturos sub iuga curva boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvae,
  Funderet ut nato testa paterna merum.

V. 27. *Pura cum veste.* Pura vestis appellabatur in sacris ea quae neque funesta, neque fulgorita esset, neque maculam haberet ex homine mortuo.

V. 28. *Vincta, coronata.* Myrtea corona Lares donabantur.

V. 32. *Pingere castra.* Morem militantium exprimit, qui domum reversi narrant sua facinora, ac saepe signis quibusdam facta describunt, aut etiam vino inter pocula in mensa designant. Notus locus Ovid. Ep. 1. 31. *Atque aliquis posita monstrat fera praelia mensa, Pingit et exiguo pergama tota mero.*

V. 36. *Navita turpis*, Charon portitor horridus, sordidus fluvii Stygii.

V. 37. *Exesisque.* Larvae mortuorum fingebantur genis excavatis, carne scilicet exesa.

» *Vstoque capillo.* Calvas praeterea sibi fingebant mortuorum imagines, comis igne rogi penitus absumtis.

V. 39. *Quam potius laudandus.* Mos olim erat, ut strenui milites, qui egregium aliquod facinus edidissent, ab imperatoribus pro concione laudarentur, et praemiis donarentur; ad hunc morem Tibullus respiciens, lepide affirmat, laudandum potius esse, qui procul a belli periculis pacis otio fruitur, atque in eo consenescit.

V. 39. *Prole parata*, cui liberis, ex coniuge susceptis, supervenit senectus.

V. 42. *Comparat*, parat. Fessi ex itinere balneo aquae calidae ad lassitudinem depouendam utebantur Veteres.

V. 43. *Sic ego sim*, id mihi contingat, et concedatur caput meum albescere canis, quod raro militibus licet, qui plerumque flavo capillo moriuntur.

V. 46. *Duxit*, misit sub iugo boves, qui araturi erant terram.

V. 47. *Aluit*, nutrivit, educavit.

» *Condidit*, reposuit liquorem ex uva expressum, ut dolium, quod pater implevit, vinum praeberet filio.

Pace bidens vomerque nitent: at tristia duri
  Militis in tenebris occupat arma situs. 50
Sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
  Is gerat, et nostris sit procul a studiis.
At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto;
  Perpluat e pomis candidus ante sinus.

V. 49. *Pace*, pacis tempore.
V. 50. *In tenebris*, in tenebrosis locis recondita.
» *Occupat*, contegit.
» *Situs*, rubigo.
V. 51. *Sudemque* hastam. Qui cupidus est saeviendi, militiae durum opus exerceat.
V. 52. *Sit procul*, absit a Musarum studiis, quibus bello nihil magis infestum.
V. 53. *At nobis*, tu vero, alma Pax, ad nos veni.
» *Spicamque teneto*. Pacis simulacrum spicas manu gerens fingebatur.
V. 54. *Perpluat*. Sinus anterior albae vestis effundat copiosos fructus, ital. *ci piova, versi in copia de' frutti*. Veste alba Pacem Deam induebant Veteres. - In veteribus numismatis Imperatorum Rom. Pacis effigies fere semper cum cornucopia.

Digitized by Google

ALBII TIBVLLI

LIBER II.

ELEGIA I.

Quisquis ades, faveas: fruges lustramus et agros,
  Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
  Pendeat: et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator: 5
  Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla iugis: nunc ad praesepia debent
  Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata deo: non audeat ulla
  Lanificam pensis imposuisse manum. 10

Arg. Eleg. I. *Sacrum ambarvale describit: rura et ruris deos laudat; quibus mitioris victus, aedificandi, boves domandi, arbores inserendi, hortos colendi, vindemiae ac messis faciendae, mellis colligendi, cantus praeterea, saltationis, rudimentorum Poeticorum, corollarum, lanificii tribuit inventionem. Cupidinem denique diis rusticis accenset.*

V. 1. *Quisquis ades*, quisquis es, qui hic ades.

» *Faveas*, tace, huc attende. Formula erat, qua in sacris silentium indicebatur, ut rite peragerentur, nulla mala voce obstrepente.

» *Lustramus*, expiamus, purificamus per sacrum ambarvale, quod ab arvis ambiendis dictum est.

V. 3. *Tuis e cornibus*. Huiusmodi cornua, quae Baccho tribuunt, et aurea quidem, nihil aliud fuisse credideriim, quam certum capillorum ornatum, qui cornuum figuram exhiberet. Dicta vero sunt aurea, quod intonsa Bacchi coma flavo colore esset.

V. 5. *Luce sacra*. Non omne tamen opus diebus festis intermittere cogebantur agricolae, sed ea tantum quae duriorem laborem efficerent. Ideo Tibullus *grave opus* dumtaxat *cessare* iubet.

V. 6. *Suspenso*, applicato parieti, aut trabi.

V. 7. *Solvite vincla iugis*, quibus boves alligantur.

V. 8. *Coronato capite*. Sacris ambarvalibus boves; in Vestae solemnibus aselli, quibus ad molas circumagendas utebantur; consualibus et equi et asini corollis ornabantur.

V. 9. *Omnia sint operata deo*, omnes intenti sint sacro diis faciendo; ut *omnia* pro *omnes* acciplantur: vel omnia directa sint ad sacrum diis faciendum. *Operari*, est rem divinam facere.

» *Vlla*, nempe femina, manum lanariam, lanificin assuetam, applicare audeat operi; Ital. *metter mano a filar la lana*.

Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris,
  Si quos sollicitat conscia mens sceleris.
Casta placent superis: pura cum veste venite,
  Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras, 15
  Vinctaque post olea candida turba comas.
Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes,
  Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
  Neu timeat celeres segnior agna lupos. 20
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
  Ingeret ardenti grandia ligna foco.
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
  Ludet, et ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor. Viden ut felicibus extis 25
  Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
  Consulis: et Chio solvite vincla cado.

V. 13. *Casta placent.* Ex lege religionis sumtum est, quam Cic. in lib. de legibus recitat: *Ad divos adeunto caste.*

» *Pura cum veste*, scil. neque funesta, neque fulgurita, neque ex humano cadavere, maculam habente.

V. 14. *Puris*, a crimine. Eos enim, quibus purae manus non essent, sacris arcebant. Praeterea sacrificaturi aqua munda ante sacrum manus abluebant.

V. 15. *Fulgentes*, ob ignem ibi accensum ad victimam comburendam.

» *Eat*, scil. sponte sua, non invitus ac tractus. Nam quae obluctabantur hostiae, ac vi trahebantur, malum portendebant. Solutas igitur hostias incedere mos fuit.

» *Sacer*, sacrificio destinatus.

V. 16. *Post*, praecedentem candida et pura veste induti agrestes, ad quos sacrificium pertinebat, sequebantur.

» *Olea*, in cultu Larum myrteam, in sacro ambarvali oleaginam coronam gerebant.

V. 18. *Pellite*, propulsate a finibus agrorum, circum quos victimam ducimus.

V. 19. *Seges*, ne cultus ager frustretur, defraudet spem messis inutilibus herbis, quae fruges obruant.

V. 21. *Nitidus rusticus*, bene saginatus, cui nitet cutis.

» *Plenis agris*, facta semente quasi gravidis.

V. 22. *Grandia ligna*, grandes arborum truncos; vel ad lignorum copiam respicit.

V. 23. *Vernarum*, puerorum, quos domi ancillae pepererunt.

» *Saturi*, copiosi, opulenti, qui largo victu multitudinem vernarum nutrire possit.

V. 24. *Ante*, subaudi *focum*, ubi Lares, ludet, et aedificabit casas ex virgis.

V. 25. *Eventura*, quod cupio, quod precor, eveniet.

V. 26. *Nuntia*, fibrae deorum voluntatis, mentis nuntiae, indicent deos esse propitios.

V. 27. *Fumosos Falernos*, cados scil. vini Falerni, qui vetustatem ementiantur fumo contracto.

» *Veteris consulis*, nomen praeferentes antiqui consulis: Viui enim vetustas ex consulis nomine noscebatur, quod a consulibus annos numerabant Romani.

V. 28. *Solvite vincla*, resignate cadum Chium pice obstrictum.

Vina diem celebrent: non festa luce madere
  Est rubor, errantes et male ferre pedes. 30
Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat,
  Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis,
  Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro 35
  Redditur agricolis gratia caelitibus.
Rura cano, rurisque deos: his vita magistris
  Desuevit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
  Exiguam viridi fronde operire casam. 40
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
  Servitium, et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri; tunc insita pomus;
  Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores: 45
  Mixtaque securo sobria lympha mero est.
Rura ferunt messes, calidi quum sideris aestu
  Deponit flavas annua terra comas.

V. 29. *Celebrent*, vino celebretur, ital. *si solennizzi* hic dies.

» *Madere*, ebrium esse.

V. 30. *Male ferre pedes*, titubare inter ambulandum. Vrbane Itali, *andare a spinapesce.*

V. 31. *Quisque ad pocula*, unusquisque in vino bene dicat Messalae; nimirum fausta illi precetur; vel potius iuxta Broukhusium dicat, *Bene Messalam;* nimirum bene Messalam valere, bene rem gerere exopto: quum haec loquendi formula in libris Latinorum cum quarto casu vix inveniatur, si hunc locum Tibulli excipias, ut observat clariss. Vulpius. Ital. *alla salute, prosperità di Messala.*

V. 32. *Sonent*, ital. *faccium risuonare.*

V. 33. *Gentis Aquitanae.* Vide supra Eleg. v. l. 1.

V. 34. *Gloria*, intonsis maioribus ingens decus ob tuas victorias. Antiquissimi Romanorum capillum et barbam promittebant. Nam Romae tonsores non fuerunt ante annum V. C. CCCC. L. IV.

V. 35. *Adspira*, huc veni, et fave mihi propitius.

V. 37. *Iis vita magistris*, nempe hominum vita.

V. 38. *Glande.* Antiqui mortales glandivori fuerunt, donec ad mitiorem cibum, Triptolemo auctore, revocarentur. Is tritici semine primus arva conspersit. Vide Valerium Flaccum 1. Argonaut. v. 68.

V. 39. *Compositis*, apte dispositis hinc inde tigillis. *Furcae utrimque suspensae*, inquit Seneca, *fulciebant casam, spissatis ramalibus; ac fronde congesta, et in proclive disposita, decursus imbribus quamvis magnis erat.*

V. 42. *Servitium*, iugum ferre, iugum subire.

» *Plaustro*, currui rotas subiicere, adiicere.

V. 43. *Abiere*, ital. *sbanditi furono* cibi ferarum proprii.

V. 46. *Securo*, innocenti.

V. 47. *Calidi sideris*, fervidi solis.

V. 48. *Annua terra*, terra quotannis deponit flaventes comas. Nam seges quotannis renovatur, aratur, seritur, tondetur denique messis tempore; ut recte ad hunc locum Broukhusius.

Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
  Compleat ut dulci sedula melle favos. 50
Agricola assiduo primum satiatus aratro
  Cantavit certo rustica verba pede.
Et satur arenti primum est modulatus avena
  Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti 55
  Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno memorabile munus ovili
  Dux pecoris hircus (duxerat hircus oves).
Rure puer verno primam de flore coronam
  Fecit, et antiquis imposuit Laribus. 60
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
  Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc et femineus labor est, hinc pensa, colusque,
  Fusus et apposito pollice versat opus.
Atque aliqua assiduae textis operata Minervae 65
  Cantat, et applauso tela sonat latere.

V. 49. *Verno alveo*, in alveari verno tempore.

» *Flores ingerit*, florum succos recondit.

V. 51. *Assiduo satiatus aratro*, diuturni laboris ac durissimi operis taedio affectus.

V. 52. *Certo pede*, definita lege, certo ac definitu quodam metro.

» *Rustica verba*, rudes versus, cantilenas. Poesim rure natam inter pastores et agricolas significat.

V. 53. *Modulatus*, ital. *cantò al suono dell'arida zampogna.*

V. 54. *Carmen*, suas cantilenas, ut eas postea frequenti sacro caneret ante deos coronatos, scil. ante aras. Ornari dii dicebantur, quum coronae simulacris imponebantur.

V. 55. *Minio suffusus* aut reapse purpureo colore infectus, aut faecibus vini perunctus. Vide Horat. Epist. ad Pisones v. 275. Etiam deorum praecipue rusticorum purpureum vultum fingebant Veteres. Tragoediae principia hic attingit Poeta, quae humilia prorsus et agrestia fuerunt.

V. 56. *Inexperta*, intentata, nondum tentata. Particula *ab* hoc loco abundat. Etiam in prosa eodem modo hanc usurpavit Cic. pro Mil. cap. 21. § 56.

» *Choros.* Rustici bene poti canere ac saltare ceperunt in festis Bacchi, quum antea cantus et saltationis omnino rudes fuissent.

V. 58. *Hircus.* Sunt qui hunc versum non esse Tibulli contendunt, inter quos Heyn. At cum nulla adpareat sufficiens causa illum Tibullo abiudicandi, nos vulgarem sequimur opinionem, cui Horatius ipse subscrispisse videtur, dum ait: *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Quod si minus arridet fortasse haec parenthesis (*duxerat hircus oves*); at prorsus simili nec iuvenuste usus est Ovidius, dum ait: *Vtque procul vidit carpentes pabula tauros (Carpebant tauri pabula laeta procul)* Breves concursu hiatus aliquando produci iam supra vidimus.

V. 61. *Curam exhibitura*, ital. *per dar da pensare, da fare*, sollicitudinem datura.

V. 62. *Lucida*, nitida, candida.

V. 63. *Hinc*, hinc etiam venit.

» *Pensa.* Globi lanae appensi, ac lanificis puellis distributi in opus diurnum.

» *Colus*, ital. *rocca da filare.*

V. 64. *Versat opus*, ital. *torce girando il filo.* Nam ad conversionem fusi pollex adhibetur.

V. 65. *Textis operata*, intenta assiduis operibus Minervae, scil. telae texendae. Pallas enim ex Ovidio Fastor. III. textoriam artem docuit.

V. 66. *Applauso latere*, leviter oer-

Ipse interque greges, interque armenta Cupido
  Natus, et indomitos dicitur inter equos.
Illic indocto primum se exercuit arcu:
  Hei mihi quam doctas nunc habet ille manus! 70
Sancte veni dapibus festis; sed pone sagittas,
  Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Ludite, iam Nox iungit equos, currumque sequuntur
  Matris lascivo sidera fulva choro.
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis 75
  Somnus, et incerto somnia nigra pede.

cusso. Dum tela manu textriels hinc atque illinc percutitur et constringitur, lateribus pectine percussis, strepitum edit.

V. 69. *Illic*, nempe ruri inter armenta.

» *Indocto*, rudi, inexperto.

V. 71. *Sancte*. Tu quoque, venerande deus, veni ad solemnes epulas.

» *Pone*, depone, missas fac.

V. 72. *Abde*, abscoude, recoude, remove.

V. 73. *Ludite*, ad agrestes sermonem convertit.

» *Iungit equos*. Equos et currum Nocti tribuunt Poetae; eamque siderum matrem finxerunt, quod noonisi nocte lucere videantur.

V. 74. *Lascivo choro*, ital. *in festevol danza*. Siderum choreae, poetica lingua, sunt periodi tardiores vel celeriores planetarum, accessus eorumdem et recessus, ortus, occasus, coitiones, digressiones etc. Manil. lib. 1. Astronom. v. 668.

» *Fulva*, rutila.

V. 75. *Postque*, et post sidera.

» *Tacitus*, ital. *cheto cheto*.

V. 76. *Somnus*. Somnum deum esse noctis filium, mortis fratrem, putarunt Veteres, eique fuscas alas tribuerunt.

» *Incerto*, male firmo, titubanti.

» *Nigra*. Somniis nigras alas tribuit Euripides in Hecuba.

ELEGIA II.

Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras:
  Quisquis ades, lingua, vir mulierque fave.
Vrantur pia tura focis, urantur odores,
  Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores, 5
  Cui decorent sanctas mollia serta comas.

Arg. Eleg. II. *Diem Cerinthi natalem celebrat.*

V. 1. *Bona verba*, bonum omen continentia, felicitatem significantia et portendentia. Quicumque ad aras accedimus, nihil nisi faustum et bene ominatum loquamur; iam enim deus Natalis venit.

V. 2. *Lingua fave*, cum silentio attende. Formula qua silentium in sacris imperabatur, ut rite peragi possent.

V. 3. *Odores*, aromata odorata; puta cinnamomum, costum, casia, bdellium, stacte et alia huiusmodi.

V. 4. *Tener Arabs*, luxu perditus, deliciis affluens, imbellis, ad laborem minus factus.

» *E terra divite*, copiosa nimirum et feraci rerum optimarum.

V. 5. *Genius*. Videtur Genium a Natali distinxisse.

» *Honores*, spectaturus sacra sibi instituta.

Illius puro destillent tempora nardo:
  Atque satur libo sit, madeatque mero.
Adnuat et, Cerinthe, tibi, quodcumque rogabis.
  En age, quid cessas? adnuet ille; roga. 10
Auguror, uxoris fidos optabis amores:
  Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris totum quaecumque per orbem
  Fortis arat valido rusticus arva bove.
Nec tibi gemmarum quidquid felicibus Indis 15
  Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. Viden ut trepidantibus advolet alis,
  Flavaque coniugio vincula portet Amor?
Vincula quae maneant semper, dum tarda senectus
  Inducat rugas, inficiatque comas. 20
Hac venias, Natalis, avi, prolemque ministres:
  Ludat et ante tuos turba novella pedes.

V. 7: *Puro nardo*, vel unguento nardino genuino et non adulterato, vel oleo nardino. Nam oleum ex nardo tenue fuit ac simplex, unguentum crassum et mixtum.

V. 8. *Satur libo*. Libi natalitii saepius meminerunt Poetae. Erat placenta de farre, melle, et oleo; cuiusmodi placentam Itali hodie vocant *migliaccio*. Non solum autem diis offerebatur, sed etiam cognatis et amicis muneri mittebatur die natali.

» *Madeatque mero*. Ebrietatem Genio, quamquam deo, tribuere non veretur Tibullus. Vel, si *madeat* proprie accipiendum est, id significaverit; vino sit aspersus. Nam cutem quoque odorato vino nonnumquam perfundebant veteres.

V. 9. *Adnuat*, significet nutu, et capitis flexu, se postulata concedere.

V. 11. *Auguror*, vaticinor, praedico tamquam divinus, et coniector.

» *Vxoris*, pactae, quod ex versu 18. huius eleg. colligi potest.

V. 12. *Edidicisse*, ipsos deos precum tuarum formulam scire, ac memoria retinere. Huc enim recidunt preces et vota tua, quum deos rogaturus ad aras accedis. Ital. *Sappiano a mente*.

V. 15. *Felicibus Indis*. Indi felices vocantur, quod regio, quam incolunt, fertilis valde sit, gemmis et auro scateat. Sic Arabiae pars *Felix* appellata.

V. 16. *Eoi maris*, orientalis oceani.

» *Rubet*. Mare illud, quod Rubrum appellant, cuius particula est sinus Arabicus, non ab aquae, neque ab arenae colore ita dictum volunt viri docti, sed a rege Erythra, qui sepultus fuerit in una Insularum Oceani ad meridiem siti. Ceterum omne mare, si longe spectetur, adventu diei purpurascit, tempestate ingruente nigrescit, plerumque glaucum, seu caeruleum apparet.

V. 17. *Vota cadunt*. *Cadere* hic est *evenire*, *accidere*, verbum simplex pro composito.

» *Trepidantibus*, adcelerantibus, et festinantibus.

V. 18. *Flavaque vincula*, ceston videlicet, luteo colore, qui color nuptiis dicatus. Vel potius intelligenda sunt legitima vincula, quibus inter se vir et uxor copulantur. Ital. *gli aurei legami*.

V. 21. *Hac venias avi*, o Natalis, o Geni, veni *hac avi*, hoc omine felici, et prolem concede: et liberi succrescentes ludere possint ante focum, ubi et tu inter deos Lares positus es atque adorarls.

V. 22. *Turba novella*, turba puerorum succrescentium.

Digitized by Google

ELEGIA III.

Rura meos, Cerinthe, tenent villaeque sodales:
  Ferreus est, eheu, quisquis in urbe manet.
O ego si laetos iam essem dilapsus in agros,
  Versarem valido pingue bidente solum,
Agricolaeque modo curvum sectarer aratrum, 5
  Dum subigunt steriles arva serenda boves;
Nec quererer, quum sol graciles exureret artus,
  Laederet aut teneras pustula rupta manus.
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo:
  Nec cithara, intonsae profueruntve comae. 10
Tunc fiscella levi detexta est vimine iunci,
  Raraque per nexus est via facta sero.
O quoties, illo vitulum gestante per agros,
  Dicitur occurrens erubuisse soror.
O quoties ausae, caneret cum valle sub alta, 15
  Rumpere mugitu carmina docta boves.
Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
  Venit, et e templis irrita turba domum.
Saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
  Quos admirata est ipsa noverca prius. 20
Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos
  Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.

Arg. Eleg. III. *Amicis rus abductis, rusticari et ipse gestit Tibullus, si vel opus rusticum sibi sit faciendum, seque tuetur exemplo Apollinis. Demum diras imprecatur avaritiae saeculi sui. Hanc postremam partem esse aliunde adsutam, contendit Scaliger; nobis monuisse sat est.*

V. 9. *Admeti.* Admetus, Thessaliae rex, cui Phoebus caelo pulsus operam suam in pascendo gregibus locaverat. Vide Ovid. Met. lib. II. § XV.

V. 10. *Profuerunt.* Nimirum ad animum Phoebi a pastoritiis absterrendum.

V. 11. *Tunc fiscella.* Ante hunc versum in antiquioribus editionibus duo disticha inseruntur: *Ipse Deus solitus stabulis expellere vaccas In nemus, et pasta, inde referre domum. Ipse et spumanti fertur mulctratia succo Implesse expressis primus ab uberibus.* Haec Vulp. post Scal. uti spuria reiecit, at Heyn. primum tantum versum Tibullo tribuendum statuit, reliqua brevioris supplendi causa irrepsisse dicit. *Fiscellae* erant calathi in usum cogendi lactis. Colum. VII. 8. 3.

V. 12. *Raraque.* Ovid. IV. Fast. *Dentque viam liquido vimina rara sero.*

V. 14. *Soror*, est Diana seu Luna.

V. 15. *Valle sub* pro *in valle.*

V. 17. *Trepidis rebus*, h. e. in magno discrimine.

V. 18. *Irrita*, pro adverbio positum

V. 19. *Latona.* Mater

V. 20. *Noverca.* Iuno.

Delos ubi nunc, Phoebe, tua est? ubi Delphica Pytho?
  Rus nempe in parva te iubet esse casa.
Felices olim agricolas, queis, fertur aperte 25
  Versari aeternos non puduisse deos!
Ferrea non agros, sed praedam saecula laudant,
  Praeda tamen multis est operata malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis,
  Hinc cruor, hinc caedes, mors propiorque venit. 30
Praeda vago iussit geminare pericula ponto;
  Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
Praedator cupit immensos obsidere campos,
  Vt multo innumeram iugere pascat ovem;
Cui lapis externus curae est, urbique tumultus 35
  Portatur validis mille columna iugis;
Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
  Negligat hibernas piscis adesse minas.
At tibi laeta trahant Samiae convivia testae,
  Fictaque Cumana lubrica terra rota. 40

V. 23. *Delos tua*, quod in hac insula maris Aegei natus esset.

» *Delphica Pytho*. Vrbs Phocidis mediterranea, sita in valle Paruassi, qua mons ascendere incipit. Antiquius Pytho, postea Delphi a Delphusa quadam sacerdote appellata fuit.

V. 27. *Ferrea*, in avaritiam gravius invehitur.

V. 28. *Praeda*, pro quibuslibet divitiis, imo pro divitiarum cupiditate intelligendum puta.

» *Operata malis*, patravit mala, ut *operari sacris* est sacra facere.

V. 31. *Geminare pericula*, scilicet ab hoste et a mari. Similiter de telis venenatis Ovidius: *Qui mortis saevo geminent ut vulnere causas, Omnia viperea spicula felle tinunt.*

V. 33. *Praedator*, h. l. avarus, uti et supra *praeda* pro avaritia.

V. 35. *Lapis externus*, marmor peregrinum.

» *Vrbique tumultus*, h. e. columna terrorem et tumultum iniiciens, ne, vicis intrementibus aedes ruant. Hinc satisdactiones illae redemtorum pro cavenda aedium ruina quoties ingentia saxa devectanda per vias essent.

V. 36. *Mille columna iugis*. Iunge mille iugis. Sic Prop.: *Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur.*

V. 37. *Claudit-moles mare*. Piscinas marinas innuit; moles enim in altum iaciebant, ne piscium marinorum diversi greges, ne quidem per tempestates deessent. Ex eo genere erat lacus Lucrinus de quo in portum Iulium converso v. Virg. G. II, 161.

V. 39. *At tibi*, si priori accenseretur nullo negotio Cerinthum intelligeres.

» *Samiae testae*, vasa fictilia, e Samo celeberrima.

V. 40. *Fictaque Cumana*. Vasa *Cumana* olim nobilia fuere: sunt autem haec inter vasa *Campana*, quae vulgo nunc Etruscis accenseri solent. Modicam fortunam testabatur Campana supellex. Hor. Sat. I.

» *Rota*, in re figulina, v. Hor. Art. v. 22.

ELEGIA IV.

Phoebe, fave; novus ingreditur tua templa sacerdos:
  Huc, age, cum cithara carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
  Nunc, precor, ad laudes flectere verba meas.
Ipse, triumphali devinctus tempora lauro, 5
  Dum cumulant aras, ad tua sacra veni:
Sed nitidus, pulcherque veni: nunc indue vestem
  Sepositam: longas nunc bene pecte comas:
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
  Victori laudes concinuisse Iovi. 10
Tu procul eventura vides: tibi deditus augur
  Scit bene, quid fati provida cantet avis:
Tuque regis sortes: per te praesentit haruspex,
  Lubrica signavit quum deus exta notis:

Arg. Eleg. IV. *Messalino, M. Valerii Corvini Messalae, summi oratoris, filio, in Collegium Quindecim virorum cooptato, quorum cura et munus erat Sibyllinos versus interpretari, oracula Sibyllarum laudat, Phoebique opem implorat.*

V. 1. *Phoebe.* Phoebum Apollinem invocat, quod hic deus vaticiniis praeesset, quod numen suum Sibyllis afflavisse crederetur, et quod *Libri Sibyllini* ab Augusto Caesare *conditi* fuissent *duobus fornicis auratis sub Palatini Apollinis basi*, teste Suetonio in Octavio cap. 31.

» *Novus Sacerdos.* Quindecemvir sacris faciundis; Marcus scil. Messalinus, qui novum sacerdotium init. Duos habuit M. Valerius Corvinus Messala filios, Marcum et Lucium. Marcus natu maior, de quo hic sermo, patris bellicam virtutem ac eloquentiam referre visus est. Lucius Poetarum studiis inclaruit. Ex Valeria familia etiam mulieres Messalinae dictae sunt.

V. 2. *Carminibus*, cantu.

V. 4. *Flectere verba*, nempe mihi te laudaturo verba quae poetam deceant suppeditare, verba flexilia, et metro accommodata.

V. 6. *Cumulant aras*, dum sacerdos partes certas, decisas ex omni viscere ac membro victimae offerendae, farina farris involutas, a ministris accipit, et aris imponit comburendas. Ex his porro partibus quamdam struem excitare, hoc est *cumulare aras.*

V. 7. *Nitidus*, capillo bene pexo atque unguentato.

V. 7.-8. *Vestem sepositam.* Theatrale syrma, cum quo citharoedi prodibant in publicum. *Seposita vestis*, est non quotidiana, sed ad laetos et festos dies agendos in arcula reservata.

V. 11. *Deditus.* Tibi addictus, devotus. Alii legunt *debitus* eo quod ars auguris Apollini debetur. Quatuor modis res futuras docebat Apollo, augurio scil., sorte, haruspicio, oraculis. Ad oracula referuntur etiam hariolorum ac vatum furibundae praedictiones. Iis accedunt somnia; et quae ex flammis ducuntur vaticinia.

V. 14. *Notis.* Haruspicum vanissima disciplina docebat quid certae notae in pecudum visceribus, praecipue lecinore, portenderent ac significarent. Hae notae, si non apparerent, *exta* dicebantur *muta.*

Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est, 15
Abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
Vatis, et ipse, precor, quid canat illa, doce.
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
Dicitur, et raptos sustinuisse Lares: 20
Nec fore credebat Romam, quum moestus ab alto
Ilion, ardentes respiceretque Deos.
(Romulus Aeternae nondum formaverat Vrbis
Moenia, consorti non habitanda Remo.
Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae, 25
Et stabant humiles in Iovis arce casae.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae,
Et facta agresti lignea falce Pales:
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum
Garrula silvestri fistula sacra deo, 30
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo;
Nam calamus cera iungitur usque minor.

V. 15. *Sibylla*, Cumaeam intelligit, quae Aeneae sortes dedit. Vide Virgil. l. 6. Quamquam Petrus Petitus peculiari libro de Sibylla unam tantum fuisse statuit, quae a variis locis, ubi illa vixerit, varium nomen sortita fuerit.

V. 16. *Senis pedibus*. Oracula hexametro versu edebantur, quem a Phemonoe, prima Pythia, sacerdote ac vate Delphici Apollinis inventum fuisse tradunt.

V. 17. *Sacras chartas*, nempe libros Sibyllinos, quibus profanis aspici non poterant, nedum tangi, contrectari, et evolvi.

V. 18. *Quid canat illa*. Tu, o Phoebe, Messalinum doce, quid canat Sibylla obscuris vera involvens.

V. 20. *Raptos*, Penates deos ex medilis hostibus et flammis.

V. 21. *Nec fore credebat*. Nam fati sui incertus Aeneas, quum crudele patriae excidium deflleret, talem tantamque fortunam sperare in rebus desperatissimis non poterat.

V. 22. *Ardentes deos*. Deorum statuas una cum templis deflagrantes.

» *Ab alto*, a puppi navis, qua per altum mare navigabat.

V. 23. *Aeternae*, Romanis solemne; quod et nummi testantur inscripti ROMAE AETERNAE.

V. 23. *Formaverat*, nondum futurae urbis Romae formam animo conceperat.

V. 24. *Consorti*, fratri germano scilicet; vel pari potestate et pari honore fruenti.

V. 25. *Herbosa Palatia*, montem Palatinum, in quo deinde Romulus habitavit, sedesque fuit Imperii Romani, et domus Augusta.

V. 26. *In Iovis arce*, in rupe Tarpeia, ubi postea templum Iovis Capitolini, tuguria pastorum hic illic dispersa cernebantur; in quibus et Romuli casa stramentis tecta, quam Curism Calabram dixerunt. Simile argumentum Virg. Aen. VIII. 337. Prop. IV. El. I. Ov. Fast. I. 509. pertractarunt.

V. 28. 29. *Agresti deo*, puta Pani, Pali, vel Fauno, Silvano etc.

V. 31. *Decrescit*, ital. *gradatamente va scemando*, deminuitur.

V. 32. *Vsque minor*, arundo alla brevior. Nam fistula septem cannis constabat, cera inter se ac lino conglutinatis, in summo qua inflabantur aequalibus, in imo qua exit spiritus inaequalibus.

At qua Velabri regio patet, ire solebat
  Exiguus pulsa per vada linter aqua,
Cum quo foecundi redierunt munera ruris 35
  Caseus, et niveae candidus agnus ovis.)
Impiger Aenea, volitantis frater amoris,
  Troia qui profugis sacra vehis ratibus,
Iam tibi Laurentes adsignat Iupiter agros;
  Iam vocat errantes hospita terra Lares. 40
Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
  Vnda deum caelo miserit Indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes:
  Tandem ad Troianos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris: 45
  Iam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavini est,
  Albaque ab Ascanio condita Longa duce.

V. 33. *Velabri regio patet.* Velabri tractus, planities extenditur inter Capitolium, Palatinum, et Aventinum, ubi et Boarium Forum fuit.

V. 34. *Pulsa aqua*, aquam impellens, findens.

» *Per vada*, per paludes, paludosa loca. Nam in Velabro olim inundantes aquae Tiberis stagnavere.

V. 37. *Impiger Aenea.* Hae sunt sortes, quas Aeneae Sibyllam dedisse superius dixerat Poeta. Illi praedicit regnum Latii, posterorum felicitatem, futuramque Rumanorum magnitudinem. *Impiger*, est acer, strenuus, bonus militia, laboris patiens, impavidus.

» *Volitantis*, aligerum vocavit Virgilius.

» *Frater*, eadem enim matre natus erat, scil. Venere.

V. 38. *Troia sacra*, Deos ipsos Troiae patronos. *Troia* trisyllabum.

V. 39. *Laurentes agros.* Laurentum, Latii urbs, versus oram maris Tyrrheni, a Latino, vel a Pico rege condita. Videtur esse locus qui nunc dicitur *Pratica*. Huc e Sicilia appulit Aeneas.

V. 41. *Illic*, scil In agro Laurente.

» *Sanctus eris*, consecraberis, sanctus habeberis.

V. 41-42. *Numici unda.* In hoc flumine repertum fuit cadaver Aeneae, et consecratum. *Venerandam* vocat *undam Numici* Poeta ob eam caussam, quod Vestae libari nonnisi de hoc fluvio liceret. Sunt qui tradant, Aeneam hoc flumine submersum: feruut alii, non procul ab eo in pugna occisum: neque desunt qui corpus occisi nusquam comparuisse scribant. - Numicius Latii fluviulus, qui ex lacu Nemorensi effluens Laviuio proximus labitur, nunc *Rivo di Nemi*.

V. 42. *Deum Indigetem.* Aeneam consecratum et caelo receptum, dixerunt Latini *Deum Indigetem*, *Iovem Indigetem*, *Patrem Indigetem* (Indigetes porro omnes homines inter deos relatos vocabant veteres). Latinos ei sacellum dicavisse tradit Dionys. Halicarnass. l. 1. c. 40.

V. 43. *Volitat Victoria*, alatam nobis hanc deam exhibent veteres nummi et antiqua monumenta.

» *Puppes* tuas, o Aenea.

V. 44. *Diva superba.* In bellis omnibus insoleus est Victoria.

» *Venit*, transit propitia.

V. 45. *Ecce mihi lucent*, loquitur Sibylla tamquam de re praesenti, ut solent vaticinantes.

V. 46. *Barbare Turne*, hoc est Italice, Latine, Rutule: nam terram Italiam barbaram olim dictam fuisse, testatur Plautus Poenulo 3. 2. 21.

V. 47. *Laurens castrum*, nempe Laurentum, veteris Latii oppidum.

» *Lavini.* Hoc de urbe Lavinio accipiendum, quam Aeneas in honorem uxoris Laviniae excitavit. Ital. *Città Lavinia*.

V. 48. *Alba longa.* Ascanius, Aeneae filius, abundante, ut ait Livius, La-

Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos. 50
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnae iam locus Vrbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de caelo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis 55
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tum se mirabitur, et sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano: sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, et aeternum sit mihi virginitas. 60
Haec cecinit vates, et te sibi, Phoebe, vocavit,
Iactavit fusa sed caput ante coma.
Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit,

vinii multitudine, novam urbem sub Albano monte condidit, quae ab situ porrectae in dorso urbis Longa Alba appellata est.

V. 50. *Ilia*. Romuli matrem, Vestae sacerdotem, Iliam vocare solent Poetae, Rheam Silviam historici. Filia fuit Numitoris, quam Amulius, Numitore fratre pulso, interfectoque eiusdem filio Lauso, Virginem Vestalem fecit, ut per speciem honoris ipsi spem partus adimeret. At ille ex Marte, ut aiebat, geminum partum edidit, Remum et Romulum.

» *Vestales focos*, ignem Vestae sacrum, virginibus custodiendum, ne extingueretur.

V. 51. *Tauri*, o arments, pascite nunc, quamdiu conceditur.

V. 53. *Tuum nomen*, tuum imperium destinatum gubernandis terris, quacumque Ceres de caelo prospicit arva sua. Significat Poeta, culta omnia orbis terrarum loca, ubicumque aratur, seritur, et metitur, sub Romano imperio futura

V. 55. *Quaque patent*, et qua aperitur, apparet oriens. *Patent*, indicat solis egressum e mari Eoo, tamquam ex aliqua porta: vel Poeta significare voluit mundi latitudinem, quae cosmographis ab Oriente in Occidentem porrigitur.

V. 56. *Anhelantes*. Decurso diei spatio fessos, et crebro anhelitu pectus quatientes. Vel simpliciter spiritum igne mixtum naribus efflantes.

» *Amnis*, Oceanus.

V. 57. *Troia quidem*. Quum scilicet Urbs Roma, ex Troiae cineribus nata, ad tantam magnitudinem et potentiam excreverit, domina effecta orbis terrarum, tunc ipsa mater Troia suam *regenerationem* admirabitur.

» *Se*, scil. renatam.

V. 58. *Vos bene*, te scil., o Aenea, et comites peregrinationis tuae.

» *Tam longa*, tam longis itineribus. Hoc distichon loco suo audacter moverat Ios. Scaliger.

V. 59. *Vera cano*, certa praedico.

» *Innoxia*, sic semper sine damno vescar sacra laurus, et aeternum servem virgineum candorem

V. 59-60. *Laurus vescar*. Qui laurum comedissent paullo frequentius, eos ad perfectam vaticinandi scientiam ope Phoebi perventuros, credula et vana sibi persuasit antiquitas.

V. 61. *Vates*, Sibylla.

V. 62. *Iactavit*, ital. *dimenò qua e là il capo*. Vates oracula edentes comam rotabant, capite huc et illuc iactato.

V. 63. *Quidquid Amalthea*. Ordo syntaxeos repetendus est a versiculo huius Elegiae 18. *Et ipse, precor, quid canat illa doce*. Vult enim Poeta, Messalinum doceri ab Apolline, non tantum quid cecinerit Vates Cumaea, cuius prolixum oraculum Aeneae redditum, hactenus interseruit; verum etiam quid praedixerint aliae Sibyllae, Amalthea scil., Mermessia, Herophile, Albuna. Haec plura nomina unius mulieris fuisse plurimi

Herophile Phoebo grata quod admonuit:
Quasque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco perlueritque sinu:
Hae fore dixerunt, belli mala signa, cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia caelo
Audita, et lucos praecinuisse fugam.
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos,
Et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes,
Fataque vocales praemonuisse boves.
Haec fuerint olim. Sed tu iam, mitis Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus.

contendunt. Tibullus plures distinguit. *Amalthea*. Sunt qui tradant, Cumanam Sibyllam vocatam fuisse Amaltheam, quae Tarquinio superbo Romae Regi scripta nonnulla magno pretio vendiderit, postea Sibyllina appellata, quae Romani servaverint annos CCCC. L. usque ad tempora Belli Civilis Syllani.

V. 63. *Mermessia*, sic appellata ab oppido *Mermesso* in monte Ida.

V. 64. *Herophile*. Sminthei Apollinis sacerdos, atque ideo illi grata.

» *Admonuit*, praenuntiavit.

V. 65. *Albuna*, Albuna, sive Albunea, fuit Sibylla Tiburtina, ad fluvium Anienem vaticinari solita.

Sortes, vaticinia volumini, seu membranae inscripta.

V. 66. *Sicco perlueritque sinu*, atque ea sicca gestaverit sicco sinu, licet aqua perluisset. *Sicco sinu*. Transnabat Tiberim Sibylla; volumen sinu vestis involutum gerebat. Aqua fluminis librum alluebat, neque ipse tamen, neque vestis permadescebat. Heyn. habet *Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes Portavit, sicco pertulit inque sinu*. Nec insulsum videtur *portavit* et *pertulit*; non omnia enim quae portantur perferuntur.

V. 67. *Hae fore*, nempe Sibyllae istae, Cumana excepta. Nam Cumanae vatis oracula prospera et laeta fuerunt; harum vero omnino infausta. Praedixerunt enim, Cometen futurum esse infaustum omen belli. Sic vulgo antiquis persuasum fuit, stellas crinitas, bella, tumultus, regnorum excidia portendere.

V. 68. *Multus ut deplueretque lapis*, nimirum, *fore ut deplueret*, ital. *e che in copia pioverebber sassi sulla terra*.

V. 69. *Atque tubas*. Subaudi, *ut eaedem Sibyllae praedixerant*; eventu enim vaticinium comprobatum est. Et aiunt in aere auditum fuisse tubarum sonitum, atque armorum fragorem, et voces incertas e lucis prolatas praenuntiavisse cladem ac fugam exercituum. Huiusmodi portentorum pleni sunt libri Poetarum et Historicorum.

V. 71. *Ipsum etiam Solem*. Quin etiam caliginosus annus vidit Solem luce destitutum atratos equos currui alligare.

V. 72. *Nubilus annus*. Pallorem illum Solis Poeta significat qui contigit occiso Caesare dictatore, annumque ferme integrum perduravit. De quo vide Gassendum Phys. sect. a. l. 1. c. 4. Heyn. putat tamen hoc distichon fuisse praepositum proxime subsequenti.

V. 73. *Tepentes*, ital. *calde lagrime*.

V. 74. *Fata praemonuisse*, calamitates praenuntiasse.

» *Vocales boves*, humana voce locutos. Pecudes locutas, triste admodum habebatur. Exempla boum vocalium multa reperies apud Livium. Huiusmodi portenta recenset Appianus Alexandrinus l. IV. Bellor. Civ. - Plinius hist. l. II. - Plutarchus in Caes. - Dio. l. XL. - Virg. Geor. I. v. 466. - Ovid. Met. XV.

V. 75. *Haec fuerint*, ital. *sieno pure un giorno avvenute siffatte cose*. Solemnis precandi formula, ne deus iratus ultra velit saevire.

» *Mitis Apollo*, placatus et e sagittario citharoedus.

V. 76. *Merge*. Cuiusmodi hoc sit,

Digitized by Google

Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
  Omine quo felix, et sacer annus erit.
Laurus, io, bona signa dedit: gaudete coloni:
  Distendet spicis horrea plena Ceres. 80
Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
  Dolia dum magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
  Concinet: a stabulis tunc procul este lupi.
Illo levis stipulae solemnes potus acervos 85
  Accendet, flammas transilietque sacras.
Et foetus matrona dabit, natusque parenti
  Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti,
  Balbaque cum puero dicere verba senem. 90
Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
  Arboris antiquae qua levis umbra cadit,
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
  Vincta: coronatus stabit et ante calix.

explicat Seneca l. 1. de Ira c. 15. *Portentosos foetus extinguimus, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt, mergimus.* Ritus hic erat expiandi porteota. Vide D. Augustinum lib. 3. de Civ. Dei, c. 11.

V. 77. *Crepitet bene laurea*, corona scil. ex lauro in flammas loiecta crepitet bene.

» *Succensa.* Mali ominis foit, si laurus nullo crepitu deflagravisset; quemadmodum boni, si clare crepuisset, ut fert eius arboris natura.

V. 78. *Sacer*, abundans, laetus.

V. 79. *Io*, particula est exsultantis prae laetitia animi.

V. 80. *Distendet*, onerabit, afflatim implebit frumento horrea, ital. *empierà a ribocco.*

V. 81. *Oblitus*, perfusos mosto vinitor premet uvas pedibus.

V. 82. *Deficiant.* Tanta futura est ubertas viodemiae, ut musto capiendo suffectura vasa non sint.

» *Lacus*, vas amplum, quo mostum excipitur, praelo aut pedibus expressum. Ital. *tino.*

» *Dolium*, ital. *botte*, vas, in quo vinum ebullit ac defaecatur.

V. 83. *Madidus Baccho*, vino ebrius.

» *Sua festa Palilia*, cantu celebrabit solemnia, in hoorem Palis deae pastorum instituta. Haec agebantur XIII. Kal. Maii ad lupos arcendos, et pro felici pecorum partu.

V. 85. *Potus*, vino madeos.

V. 86. *Transilietque.* Eo die, combusta victima, pastores aqua aspergebantur, coenae apparabantur, et vesperi sub noctem ignes ab agricolis excitabantur e stipula, quos ter transiliebant. Caussas eius moris persequitur Ovidius l. IV. Fastor.

V. 87. *Matrona*, mulieres foecundae erunt.

V. 89 *Advigilare.* Hoc verbum proprie significat vigilare apud aliquem, ut solent custodes et excubitores.

V. 90. *Senem*, licet senem balbutire cum puero.

V. 91. *Operata Deo*, sacro peracto.

» *Discumbet*, scil. ad vescendum.

V. 92. *Levis*, mobilis umbra diffunditur.

V. 93. *Aut veste*, aut vestibus suis conficient sibi tentoriola, funiculis colligata.

» *Sertis*, declinatur hoc vocabulum *serta*, *sertae*. Funes enim et vestes conserendo, seu plectendo fiunt.

V. 94. *Coronatus calix.* Antiquos coronasse pocula, et sic bibisse notat Servius ad lib. I. Aeneid. v. 724.

» *Stabit ante*, ante toros scil. discumbentium.

At sibi quisque dapes, et festas exstruet alte 95
Cespitibus mensas cespitibusque torum.
Ingeret hic potus iuvenis maledicta puellae,
Postmodo quae votis irrita facta velit.
Pace tua, pereant arcus, pereantque sagittae,
Phoebe: modo in terris erret inermis Amor. 100
Ars bona: sed postquam sumsit sibi tela Cupido,
Heu heu quam multis ars dedit illa malum!
At tu, nam divum servat tutela Poetas,
Praemoneo, vati parce, puelle, sacro:
Vt Messalinum celebrem, quum, praemia belli, 105
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti
Miles, io, magna voce, triumphe, canet.
Tum Messala meus pia det spectacula turbae,
Et plaudat curru praetereunte pater. 110
Adnue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli:
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

V. 95. *At sibi quisque*, quisque autem sibi praeparabit dapes et laetas mensas alte cespitibus, ital. *sopra d erbose zolle.*

V. 97. *Ingeret maledicta*, ital. *manderà imprecazioni*, convicia.

» *Potus*, ebrius.

V. 98. *Irrita facta*, quae, quum primum crapulam exhalaverit, optabit effectu carere.

V. 99. *Pace tua, Phoebe*, ital. *non l'aver a male, Apollo.*

V. 101. *Ars bona*, scil. exercera arcus.

V. 102. *Dedit malum*, exitio fuit.

V. 103. *Divum*, deorum praesidium, patrocinium tuetur Poetas.

V. 104. *Vati parce*, ital. *abbi riguardo.*

V. 105. *Quum praemia belli*, quum ante suum currum trahet debellatas urbes, militarium laborum fructus, bellicae suae virtutis praemia.

V. 106. *Currus.* Currum triumphalem Romani Imperatoris praecedebant simulacra oppidorum quae ille ductu suo expugnaverat, et in ditionem redegerat. Ferculis autem imponebantur, ut ab omnibus facile spectari possent.

V. 107. *Ipse gerens laurus*, miles ipse manu gerens laurum, lauroque in agris decerpta coronatus magna voce clamabit; io triumphe, ital. *e viva.*

V. 107. *Agresti*, decerpebant milites triumphantem secuturi ramos frondentes e lauro, quam in agris invenissent, eos manu gerabant, iisque galeam coronabant.

V. 109. *Messala meus*, subaudi *patronus*, cuius in clientela sum, quo imperatore militavi.

» *Pia det spectacula*, de se dulce spectaculum praebeat populo, quo pietatem patris in filium testetur.

V. 110. *Curru*, filii.

» *Pater*, Messala.

V. 111. *Adnue*, sine te exorari, et nutu propitis te exoratum esse ostende.

V. 112. *Sic tibi*, h. e. precor te per promissos tuos capillos, et per Dianam sororem.

Digitized by Google

ELEGIA V.

Iam mala finissem leto; sed credula vitam
  Spes fovet, et foro cras semper ait melius.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
  Semina, quae magno foenore reddat ager.
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces, 5
  Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum;
  Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Spes te placatam spondet, dulcissima coniux,
  Hei mihi ne vincas, dura Neaera, deam! 10
Parce, per immatura tuae precor ossa sororis;
  Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est; illius dona sepulcro
  Et madefacta meis serta feram lacrimis:
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo, 15
  Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem;
  Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto.
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
  Moestaque sopitae stet soror ante torum, 20
Qualis, ab excelsa praeceps delapsa fenestra,
  Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi:
  Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

Arg. Eleg. V. *Ait se modica spe sustentari: deinde uxorem ut secum in gratiam redeat variis rationibus hortatur. Hic quoque Scaligerum sequimur, qui novam eamque dulcissimam hoc loco exorditur Elegiam.*

V. 1. *Iam mala*, Scal. legit: *Finirent multi leto mala; credula vitam Spes fovet, et melius cras fore semper ait.*

V. 3. *Spes credit*, haec solemnia de aratione et messe, hinc et fides agris tribui solet, quam si frustrentur *mendaces* cum Hor. III. Od. 1. appellabis.

V. 8. *Inter opus*, quod ruri facit. Locum hunc suavissimum aemulatus est Ovid. I. ex Pont. 6. 29. etc.

V. 12. *Sic bene*, obtestandi formula: per id quod in votis habetur.

V. 13. *Sancta est*, sancti vocabantur piorum manes. Virg. Aen. XII. 648.

V. 15. *Sedebo*, proprie hoc supplicantium ac lugentium fuerat. Virg. ... *Totamque videmus consedisse urbem luctu.*

V. 17. *Clientem*, h. l. supplicem.

V. 18. *Lenta*, dura, quae precibus non movetur. Vide Forcel.

V. 21. *Qualis*, tales manes apparebant quales vita excesserant Virg. Aen. II. 268.

ALBII TIBVLLI

LIBER III.

ELEGIA I.

Martis Romani festae venere Kalendae:
  Exoriens nostris hic fuit annus avis.
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa,
  Perque vias urbis munera, perque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore 5
  Coniux? Carminibus gaudeat illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
  Pumex et canas tondeat ante comas:
Summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
  Indicet ut nomen littera facta meum. 10
Atque inter geminas pingantur cornua frontes;
  Sic etenim comtum mittere oportet opus.

Arg. Eleg. I. *Festis Matronalibus Musas rogat, ut ad Neaeram perferant volumen carminum suorum.*

V. 1. *Kalendae.* Quemadmodum mense Decembri, quo Saturnalia celebrari mos erat, matronae viris mittebant munera; ita Kalendis Martiis viri matronas remunerabantur.

V. 2. *Exoriens annus*, initium anni. Romulus enim annum constituit mensium decem, quorum primum de parentis nomine *Martium* nuncupavit.

» *Avis*, maioribus nostris.

V. 7. *Involvat.* Veteres in interiori tantum libri parte scribebant, quae candida erat, ut litterae succo loliginis ductae magis apparerent. Tota enim libraria supellex, et integrae veterum bibliothecae, e solis plerumque constiterunt voluminibus convolutis, in modum columellae, seu cylindri: quae propterea volumina forulis recondebantur. Non erant igitur libri in aversa etiam chartae facie conscripti. Caviti vero scripturae, hoc est summae voluminis orae in aversa charta, membranae frustum adglutinari solebat, quod, convoluto libro, eius quasi operculum ac tegumentum esset. Duas ob caussas id faciebant; et ut chartae fragilitatem tuerentur, et ornatus quoque gratia: membrana enim illa croco, vel minio, vel purpura tingebatur, exterius tamen. Ea iutus inscriptionem voluminis, extra vero indicem seu titulum aureis litteris continebat. Bacillo, circa quem liber convolvebatur, addebantur umbilici, et cornua eburnea. Haec exstabant inter duas oras voluminis, quae *frontes* dicebantur. Ebur vero ipsum pingebant Veteres.

V. 9. *Littera facta praetexat fastigia chartae tenuis, ut etc.*, h. e. titulus obducat extremam partem membranae exterioris ut indicet nomen meum.

Per vos auctores huius mihi carminis oro,
  Castaliamque umbram, Pieriosque lacus:
Ite domum, cultumque illi donate libellum, 15
  Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
  An minor, an toto pectore deciderim.

V. 13. *Auctores*, per vos ipsas, quae mihi versus hos inspiratis, vos oro, o Musae.

V. 14. *Castaliamque umbram*, In ripis enim fontis Castalii multae lauri, et ingentes.

» *Pieriosque lacus*, puta Hippocrenen, Permessum, Libethrum, Pimpleum.

V. 16. *Sicut erit*, non explicitum, sed loris et obstrigillis clausum, et sigillo munitum.

V. 17. *Referet*, scil. significabit.

ELEGIA II.

Ferreus ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
  Vivere et erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
  Ingenio: frangit fortia corda dolor.
Nec mihi vera loqui pudor est, vitaeque fateri
  Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram,
  Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat longos incomta capillos,
  Et fleat ante meum moesta Neaera rogum. 10
Sed veniat carae matris comitata dolore;
  Moereat haec genero, moereat illa viro.
Praefatae ante meos manes, animamque precatae,
  Perfusaeque pias ante liquore manus,

Arg. Eleg. II. *Lygdamus, graviter dolens, mandat, quomodo mortuos condi sepulcro velit: ubi ossium collectionem, quae post crematum cadaver fieri solebat, elegantissime describit.*

V. 1. *Ferreus*, duro corde.

V. 3. *Firmus*, fortis, constans sum.

V. 3.-4. *Nostro ingenio*, nativa mea indoles munita non est tanta patientia.

V. 5. *Fateri*, non est mihi pudor vera loqui, ac fateri, natum esse in animo meo vivendi taedium, ex quo tot perpessus sum mala. Non obscure significat, se, quod vita iam ipsi molesta sit, mortem sibi sua manu consciscere velle.

V. 7. *Mutatus in umbram*. Tum demum *umbra* dicebatur, quum corpus igne esset consumtum.

V. 8. *Super ... teget*, pro *superteget*.

V. 10. *Fleat*. Lacrimis et fletu carorum gaudere credebantur umbrae.

V. 12. *Genero viro*, gratia generi, gratia viri: potest esse et dativus.

V. 13. *Praefatae ante*, postquam prius meos manes allocutae fuerint; meam umbram nomine vocaverint; et precatae fuerint pacem et quietem animae meae, et prius aqua pias manus lavarint. Nam in re sacra et religiosa Antiqui semper manus lavabant.

Pars quae sola mei superabit corporis, ossa 15
Incinctae nigra candida veste legant:
Et primum annoso spargant collecta Lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent,
Post haec carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo. 20
Illuc quas mittit pinguis Panchaia merces,
Eoique Arabes, dives et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem:
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera caussam. 25
Atque haec in celebri carmina fronte notet:

LYGDAMVS . HIC . SITVS . EST . DOLOR . HVIC . ET . CVRA . NEAERAE
CONIVGIS . EREPTAE . CAVSSA . PERIRE . FVIT.

V. 16. *Incinctae*, non cinctae, disciuctae.

» *Nigra veste*; caeruleis enim, et atris vestibus in funeribus utebantur Antiqui.

V. 18. *Fundere parent*, perfundant, madefaciant.

V. 19. *Carbaseis velis*, velis linsis linteis, mirae tenuitatis.

V. 20. *Domo*, in urna marmorea, vel in sepulcro ipso ex marmore exstructo, in quo urna cum ossibus et cineribus condebatur.

V. 21. *Illuc*, in urnam, in sepulcrum.

» *Quas merces*, tus puta, myrrha, stacte, aromata alia odorifera.

» *Panchaia*, regio Arabiae felicis vel Troglodyticae, vel inferioris Aegypti, vel denique insula Oceani Australis; nam de illa omnia incerta et fabulosa.

» *Pinguis* dicitur, quod ferat arbores et frutices resinam et gummi stillantes.

V. 22. *Eoique Arabes. Arabia* Orientalis est et late patens Asiae regio ad mare Erythraeum inter sinum Persicum et Arabicum, aromatum maxime ferax.

» *Dives et Assyria*, opulenta, vel ob simplitudinem regionum et nobilitatem urbium, vel ob imperium orbis terrarum, quo primi omnium Assyrii potiti sunt. De Assyriae opulentia nemo non novit. Nam praeter purpuram, et eximios odores, auri etiam atque argenti ferax fuit.

V. 23. *Nostri memores*, quas elicuerit et expresserit nostri memoria.

» *Fundantur eodem*, ital. *quivi medesimo si accolgano. Eodem*, in ossa et cineres meos, in urnam sepulcralem, vel in vasculum vitreum eadem urna condendum; quae vascula vocabant *lacrimatoria*.

V. 24. *Componi*, in urna condi, sepeliri. *Componi* proprie dicebantur cineres et ossa, quum in monumentum condebantur, vasculis suis inclusa.

» *Versus*, mutatus, redactus, conversus.

V. 25. *Tristem*, funestam, vel acerbam.

» *Littera*, inscriptio. Mortis caussam in cippo sepulcrali saepe incidere solebant Antiqui.

V. 26. *In celebri fronte*. Voluit igitur sepeliri propter viam publicam, in celebritate hominum ac frequentia. In agri confinio propter viam publicam.

V. 27. *Lygdamus*, videtur *Albium* exprimere, ex graeca interpretatione: Lygdinum marmor est candidissimum.

V. 28. *Perire*, pereundi, mortis, modo Graecorum.

ELEGIA III.

Quid prodest caelum votis implesse, Neaera?
  Blandaque cum multa tura dedisse prece?
Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,
  Insignis clara conspicuusque domo:
Aut ut multa mei renovarent iugera tauri, 5
  Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae,
  Inque tuo caderet nostra senecta sinu;
Tunc quum praemensae defunctus tempora lucis
  Nudus Lethea cogerer ire rate. 10
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
  Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis:
  Taenare sive tuis, sive Caryste tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos 15
  Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidve in Erythraeo legitur quae littore concha,
  Tinctaque Sidonio murice lana iuvat?

Arg. Eleg. III. *Ad Neaeram: se nihil aliud umquam optavisse, nisi ut ea secum in gratiam rediret, sed vota perdidisse*

V. 2. *Blandaque*, ital. *lusinghieri*, vel apta ad pietatem excitandam.

V. 4. *Insignis*, ital. *distinto*, et illustris claritate domus, generis nobilitate.

V. 5. *Renovarent*, inverterent ad novam rationem.

V. 9. *Praemensae*, quum decurso spatio vitae praefinitae a Parcis; quae putabantur tempus vitae unicuique praemetiri ac praefinire in ipso vitae exordio.

V. 10. *Lethea ire rate*, Charontis navicula ad inferos et flumen *Lethe* transire.

V. 13. *Phrygiis columnis*. Marmor Phrygium temporibus Augusti permagno aestimabatur.

V. 14. *Taenare*. Viride marmor Lacedaemonium quod in laudatissimis numerabatur: Taenarium etiam dicitur a Poetis; Taenarus enim Laconiae promontorium fuit.

» *Caryste*. Carystio quoque marmori locus erat inter pretiosa. Nomen dedit Carystos, oppidum insulae Euboeae. Virebat porro hic lapis, et maculis fluctus marinos referentibus distinctus erat.

V. 15. *Et nemora*. Hortos non solum et pomaria, sed et nemora in aedibus habebant locupletiores Quirites, quorum domus erant amplissimae, et in recessu dormiebant, procul a strepitu viarum frequentium. *Lucus*, ait Servius, est *arborum multitudo cum religione*, *nemus vero composita multitudo arborum*. Ital. *e aver in casa folte piantagioni d'alberi, che gareggino co' sacri boschi*.

V. 16. *Aurataeque trabes*, lacunaria solido auro tecta. Non enim, ut nos solemus, bracteolis, sed solidis aureis laminis lacunaria Veteres operiebant.

» *Marmoreumque solum*, pavimentum tessellatum, seu vermiculatum crustis varii marmoris.

V. 17. *Concha*, conchylium, in quo bacca pretiosa, seu margarita.

V. 18. *Sidonio*. Alteram syllabam

Et quae praeterea populus miratur? in illis
  Invidia est: falso plurima vulgus amat. 20
Non opibus mentes hominum curaeque levantur;
  Nam Fortuna sua tempora lege gerit.
Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neaera:
  At sine te regum munera nulla volo.
O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem! 25
  O mihi felicem terque quaterque diem?
At si pro dulci reditu quaecumque voventur,
  Audiat aversa non meus aure deus:
Nec me regna iuvant, nec Lydius aurifer amnis,
  Nec quas terrarum sustinet orbis opes 30
Haec alii cupiant: liceat mihi paupere cultu
  Securo cara coniuge posse frui.
Adsis, et timidis faveas, Saturnia, votis,
  Et faveas, concha Cypria vecta tua.
Aut si fata negant reditum, tristesque sorores 35
  Stamina quae ducunt, quaeque futura canunt:
Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
  Dives in ignava luridus Orcus aqua.

produxit Prop. *Ne tibi sit tanti Sidonia vestis.*

V. 18. *Murex*, piscis marinus cuius sanguine tingitur purpura.

V. 19.-20. *In illis invidia est*, isthaec invidiam excitant; ex his invidia nascitur.

V. 20. *Falso*, temere immerito plurima expetit. Non enim divitiae aut honores bona sunt ab hominibus tantopere expetenda.

V. 22. *Sua lege*, nutu suo, ital. *a suo talento.*

» *Tempora gerit*, diversos status, conditiones, vicissitudines rerum humanarum gubernat.

V. 27. *Quaecumque voventur*, at si vota omnia quae fiunt pro optato reditu in gratiam, optata reconciliatione.

V. 28. *Aversa aure*, auribus alio conversis, non faventibus.

» *Non meus Deus*, Deus iratus, inimicus.

V. 29. *Lydius*, Paetolus Lydiae fluvius, aureis arenis illustris.

V. 30. *Opes*, omnes divitiae, thesauri, quos continet totus terrarum orbis.

V. 31. *Paupere cultu*, victu tenui, qui pauperem deceat.

V. 33. *Timidis votis faveas*, annue timidis votis. Nam cum metu et silentio superstitioso vota concipere Antiqui solebant.

» *Saturnia*, Iunonem Lucinam invocat, matrimonii praesidem.

V. 34. *Cypria*. Venerem e mari emergentem ad litora Cypri appulisse primum, concha marina vectam, referunt fabulae.

V. 35. *Reditum*, reconciliationem.

» *Tristesque*. Parcae severae, inexorabiles Deae, quae vitae nostrae stamina ducunt, nent, et futura praenuntiant.

V. 37. *Vastos amnes*, scil. inferorum.

» *Paludem*, Stygem.

V. 38. *Dives*, qui dives est, qui dominatur.

» *Orcus*, est hoc loco Dis pater, sive Pluto; non Charon.

ELEGIA IV.

Di meliora ferant, nec sint insomnia vera,
  Quae tulit extrema pessima nocte quies.
Ite procul: vanum falsumque avertite visum,
  Desinite in vobis quaerere velle fidem.
Divi vera monent: venturae nuntia sortis 5
  Vera monent Tuscis exta probata viris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
  Et pavidas mentes falsa timere iubent.
Et vanum ventura hominum genus omina noctis
  Farre pio placant, et saliente sale. 10
Sed tamen, utcunque est, sive illi vera monenti,
  Mendaci somno credere sive volent,
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
  Et frustra immeritum praetimuisse velit:

Arg. Eleg. IV. *Narrat, se per quietem ab ipso Apolline admonitum de Neaerae perfidia: itemque doctum, quibus artibus eam sibi reconciliare posset.*

V. 1. *Meliora*, scil. auguria, vel oracula. Insomnium enim vocat id, quod revera fuerat oraculum.

» *Di meliora*, dicebant Veteres etiam quum aliquid abominarentur, et a se deprecarentur.

» *Insomnia*, et *somnia* Haec duo vocabula promiscue usurpata occurrunt.

V. 2. *Extrema nocte*, sub finem noctis, sub diluculum; quae somnia vera esse opinabantur Antiqui. *Pessima quies*. In ea enim res pessimae, sinistrae, adversae sibi a Phoebo praenuntiatae fuerant.

V. 3. *Ite procul*, nempe o somnia.

» *Falsum visum*, vanum phantasma.

» *Avertite*, removete.

V. 4. *Desinite*, desistite velle, me quaerere fidem in vobis, me vobis fidem adhibere. In hoc disticho aliquid desiderari plurimi cl. viri animadverterunt: at huc usque neque emendare potuerunt, neque e medio tollere ne omnis nexus cum subsequentibus temere abrumperetur.

V. 5. *Divi vera*. In oraculis, et in extispicis veritas inest, non in somniis.

V. 6. *Tuscis*. Notum est, quantopere ea gens omni divinarum rerum intelligentia credita sit excellere.

V. 7. *Ludunt*, vel quod quasi iocentur, et nugas agant inaniter discurrendo, levesque et confusas imagines in animis dormientium excitando; vel quod ils illudant, eosque decipiant.

V. 9. *Et vanum hominum genus*, et vani homines superstitiosi. Alii, *et natum in curas hominum genus*.

» *Ventura omina noctis*, futuris somnia noctis placare expiare solent, h. e. numina illa donis et sacrificiis placare solent, quae somnia mittere creduntur, ne mala mittant et infelicia, sed optabilia, et fausta.

V. 10. *Farre pio*, nempe mola salsa, quae inter cornua victimae ponebatur.

» *Sale*, in igne crepitante.

V. 11. *Sive illi vera monenti*, sive homines voleut deo, aut haruspici vera monenti credere; sive despicere monita, et mendacibus somniis, tamquam veritati ipsi, fidem adhibere.

» *Vtcumque est*, dii a me tala averruncent.

V. 13. *Efficiat*, Hecate, quae somno praeest, reddat vana noctis elapsae terribilia, formidolosa somnia.

Si mea nec turpi mens est obnoxia facto 15
Nec laesit magnos impia lingua deos.
Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
Mundum, caeruleo laverat amne rotas:
Nec me sopierat menti deus utilis aegrae
Somnus: sollicitas deficit ante domos. 20
Tandem quum summo Phoebus prospexit ab orto,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuvenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo vidit formosius ulla priorum 25
Aetas (humanum nec fuit illud) opus
Intonsi crines longa cervice fluebant;
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem praefert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus: 30
Vt iuveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas:
Vt quum contexunt amarantis alba puellae
Lilia: ut autumno candida mala rubent.

V. 15. *Obnoxia*, nec animus meus reus est mali, scelesti facinoris.

V. 17. *Aetherium mundum*, caelum, ingentia caeli spatia.

» *Nigris quadrigis*, qui nocti quadrigas tribuat, praeter Tibullum, non facile invenies.

V. 18. *Caeruleo amne*, h. e. mari Oceano. Fingunt enim Poetae noctem, superveniente die, in Oceano mergi.

V. 19. *Deus utilis*, numen amicum propitium animis afflictis.

V. 20. *Sollicitas domos*, in quibus scil. habitant sollicitudines, ital. *ove albergan gli affanni*; magna enim his est Somno cum sollicitudinibus et curis.

V. 20. *Deficit*, ital. *vien meno*, evanescit, vires amittit suas.

V. 21. *Quum summo ab orto*, quum dies apparuit in extremo Oriente.

V. 22. *Languentis*, scil. longa et intempestiva vigilia: vel clausit mihi languentes oculos tardus somnus.

V. 23. *Hic*, *tunc*.

» *Casta lauro*, quod in hanc arborem versa fuerit Daphne puella castissima.

V. 25. *Non illo*, sic distichon male saucium emendat Vossius, at latet, inquit Vulpius, malignum ulcus, quod Chironis auxilio indigeat. Quare Heyn. illud nequaquam esse Tibulli asserit.

V. 28. *Syrio rore*. Vnguento nardino, quod permagno aestimabant. Nardus frutex nasci solitus in Syria Palaestina.

» *Myrtea*; nigra scil., quae floris aut foliorum aut baccharum myrti colorem imitaretur. Alii, cum vulgo Phoebo flavi tribuantur capilli, malunt legere *myrrhea*.

V. 29. *Latonia*, Latonae filia, Phoebi soror. Luna enim eadem est ac Diana.

V. 30. *Et color purpureus*, scil. in candidis membris permixtus erat color purpureus.

V. 32. *Inficitur*, tingitur. Hinc tinctores *infectores* dicuntur.

Ima videbatur talis inludere palla; 35
  Namque haec in nitido corpore vestis erat.
Artis opus rarae fulgens testudine et auro
  Pendebat laeva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
  Felices cantus ore sonante dedit. 40
Sed postquam fuerant digiti cum voce loquuti
  Edidit haec dulci tristia verba modo.
Salve, cura Deum; casto nam rite Poetae
  Phoebusque, et Bacchus, Pieridesque favent.
Sed proles Semeles Bacchus, doctaeque sorores 45
  Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
At mihi fatorum leges, aevique futuri
  Eventura pater posse videre dedit.
Quare, ego quae dico non fallax, accipe, vates:
  Quodque deus vero Cynthius ore feram. 50
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
  Quae tibi securos non sinit ire dies,

V. 35. *Ima*, limbus longae vestis videbatur ludens descendere usque ad talos.

» *Palla*, usque ad talos demissa deos maiorum gentium ornabat: fuit enim index maiestatis et potentiae. Fuit etiam citharoedorum ac tibicinum.

V. 36. *In nitido corpore erat*, vestis haec tegebat corpus pulcre lotum atque unguento splendens.

V. 37. *Testudine*, corticibus marinae testudinis in tenues laminas dissectis varia opera et pretiosa fingebant artifices.

V. 38. *Laeva parte*, fidicines laevo humero lyram suspensam sustinebant, dextra vero manu, vel inermi, vel plectro armata, eius chordas percutiebant.

V. 39. *Primum veniens*, statim ac venit, hanc pulsans eburneo pectine.

V. 40. *Felices cantus*. Cantus, de quibus hoc versu, praecentiones et praeludia fuerunt; qualia musici hodierni vocant *ricercate*. *Felices* appellat, non quod felicia promitterent, sed quod facile ac feliciter provenirent, cantoris voluntati omnino respondentes.

V. 41. *Fuerant loquuti*, ital. *ma poichè le dita colla voce si ebbero fatto sentir dolce armonia*, digiti a percutiendis chordis, et vox a cantu cessavit. Veteres enim citharoedi alterois canebant, et citharam pulsabant; licet aliquando et citharam pulsarent, et canerent eodem tempore.

V. 43. *Casto*. Poeta qui nullo scelere se contaminaret, qui omnia pietatis officia diis persolveret, praecipue carminum auctoribus, *rite* castus habebatur.

V. 46. *Dicere non norunt*, nesciunt praedicere, quid futurum tempus afferat. Non omnes deos, sed solos fatidicos, quorum consulebantur oracula, futura praescire credebant Veteres.

V. 48. *Pater*. Ea cernere Apollinem putabant, quae secretiore Iovis consilio abdita continerentur. Id vero privilegium Apollini filio Iuppiter pater lubens dederat.

V. 49. *Accipe*, audi ea, quae ego vates non mendax.

V. 50. *Feram*, nuntiem tibi.

V. 51. *Tantum cara*, illa tantum tibi cara; illa tibi carior, quam filia matri.

V. 52. *Securos*, quae tibi non permittit ducere dies tranquillos.

Carminibus celebrata tuis formosa Neaera
  Non gaudet casta nupta Neaera domo:
Ah crudele genus, nec fidum femina nomen! 55
  Ah pereat, didicit fallere siqua virum!
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis,
  Tu modo cum multa brachia tende prece.
Dixit, et ignavus defluxit pectore somnus:
  Ah ego ne possim tanta videre mala! 60
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
  Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt aequora Ponti,
  Nec flammam volvens ore Chimaera fero.
Nec consanguinea redimitus terga caterva, 65
  Cui tres sunt linguae, tergeminumque caput.
Scyllaque virgineam canibus subcincta figuram:
  Nec te conceptam saeva lcaena tulit.
Barbara nec Scythiae tellus, horrendave Syrtis:
  Sed culta, et duris non habitanda domus. 70

V. 54. *Casta*, frugi quae luxu careat. Nam facilius in re augusta morum integritas servatur.

V. 55. *Nec fidum*, infidum nomen; quasi audito nomine feminae, statim et perfidae meminisse necesse sit.

V. 56 *Fallere*, prodere.

V. 58. *Brachia tende*, tende illi manus cum multis precibus; supplica brachiis protensis.

V. 59. *Dixit*, sic dixit Apollo.

» *Defluxit*, e membris meis evanuit, discessit.

V. 60. *Ne possim videre*, h. e. ne videam.

V. 61. *Tibi*, inesse vota contraria; te habere vota contraria votis meis, qui te mihi coniugem opto; vel ipsis votis tuis pristinis. Sensus aliquantulum subobscurus, quem sic emendat Heyn. ex Stat.: *Non ego crediderim nostris contraria vota.*

V. 63. *Vasti Ponti*, undae maris vasti, belluis et monstris scatentis.

V. 64. *Volvens*, vomens ab ore immani flammarum globos.

» *Chimaera*. Monstrum horribile, natum ex Typhone et Echidna, cui ferunt fuisse leonis caput, caprae corpus, draconis caudam. Bellerophontis confixum sagittis interiit.

V. 65. *Nec consanguinea caterva*. Cerberum intellige. - *Consanguinea caterva* sunt serpentes cervicibus, iubae, ac dorso Cerberi haerentes, uno atque eodem partu procreati; alii legunt: *Nec canis anguinea etc.*, bene fortasse, ut multi viri docti auctoritate Catulli adducti legere *anguino* pro *anguineo* maluerint.

V. 67. *Scylla*, Phorci filia, quae fontem a Circe medicamine infectum ingressa, sensit sibi corporis inferiorem partem in serpentes et canum capita converti. Idcirco impatiens prodigii in mare se praecipitem dedit. Vnde fabulati sunt, factam scopulum navigantibus infestum, qui est contra Charybdin.

V. 68. *Tulit*, protulit, edidit.

V. 69. *Scythiae tellus*, Scythia regio Septemtrionalis latissima, cuius maxima pars ad Asiam, minima ad Europam pertinet. Populos habet bellicosissimos.

» *Syrtis*. Duae sunt Syrtes apud Leptim Africae oppidum, maior et minor: sed ambae inhospitae, desertae, ferae, arenis oppletae.

Et longe ante alias omnes mitissima mater:
  Isque pater, quo non alter amabilior.
Haec deus in melius crudelia somnia vertat,
  Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

V. 72. *Isque pater*, et talis pater.
V. 73. *Deus*, vel Genius, vel Phoebus; vel pro, *dii* mutent in melius haec infausta somnia.

ELEGIA V.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
  Vnda sub aestivum non adeunda Canem.
Nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
  Quum se purpureo vere remittit hyems.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam: 5
  Immerito iuveni parce nocere, dea.
Non ego tentavi nulli temeranda virorum
  Audax laudandae sacra docere deae,

Arg. Eleg. V. *Ad amicos in thermis Etruscis commorantes, ut pro ipsius valetudine vota suscipiant.*

V. 1. *Vos tenet*, vos, o Amici, retinent aquae balnearum, quae manant e fontibus Etruscis, balneae non adeundae, ital. *da non prendersi*, tempore aestuosae Caniculae. Quas Etruriae balneas designet Poeta, incertum. Thermas fuisse, et multo sulphure abundantes, illud suadet, quod adulta iam aestate adeundae non erant. Clusinas aquas hic significari putavit Scioppius. Has quidem frigidas fuisse, licet aegrotis curandis utiles, testatur Horatius Ep. 15. v. 5.; sed in Agro Clusino qui tum late patebat, Thermas etiam fuisse, ex iis, quae clar. vir Ioseph Baldassarri refert in opere quod inscribitur: *Delle acque minerali di Chianciano*, Senis edito an. MDCCLVI. satis apparet.

V. 3. *Nunc autem*, hac vero tempestate, qua, vere purpureo solvitur hiems, ital. *si raddolcisce.*

» *Proxima*, proxima salubritate sacris Baiarum aquis.

» *Sacris*. Fonti unicuique Nympham suam, vel Genium praeesse putabant, cui sacer esset. Praecipue vero consecratae habebantur aquae salutiferae. Graviter disputat contra hanc vulgarem lectionem cl. Heyn., intrusi enim illi videntur 2. ac 3 versus, quibus sublatis, et sententiam magis nitidam, et quod vel maximum locutionem mage latinam procul dubio spondet. Vide Edit. Taur. vol. II. pag. 308.

V. 5. *Persephone*, Proserpina, in cuius potestate hominum vitam positam credebant.

» *Nigram horam*, fatalem horam mortis.

V. 7. *Tentavi*, non ausus sum temerarius vulgare occulta mysteria venerandae deae nulli hominum violanda, contaminanda. Vel de Cereris mysteriis loquitur, quae si quis enuntiasset, gravissimo supplicio dignus habebatur; in cuius deae sacrarium ingredi, ac sacris interesse viris interdictum erat; vel *dea laudanda* Tibullo est Proserpina, seu Persephone, cui sacra communia erant cum Cerere. Sane Proserpina, eadem quae Cotytto, quam sacris occultis et obscoenis placabant. Horat. Epodo 13.

V. 8. *Laudandae*. Ceres cum Iside unum fuit, cumque hanc a laudibus *laudandam* dixerit, ergo et illam. Vide lib. I. El. III. v. 27. Alii intelligunt: *Sacra Bonae moribus non adeunda deae*, et *laudandam* pro *Bona* ipsa,

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit,
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes:
Nec cor sollicitant facta nefanda meum.
Nec nos insana meditantes iurgia linguae,
Impia in adversos solvimus ora deos.
Et nondum cani nigros laesere capillos,
Nec venit tardo curva senecta pede.
Natalem nostri primum videre parentes,
Quum cecidit fato consul uterque pari.
Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis?
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Letheamque ratem, Cimmeriosque lacus,
Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano, nequidquam terrear aestu!
Languent ter quinos sed mea membra dies.

V. 11. *Admovimus*, injecimus. Quod impii et sacrilegi homines facere solebant, ut deorum fana in turba et confusione tutius ac facilius expilare possent.

V. 13. *Insana*, nec animo insano concipiens convicia, impium os aperui, ut diis iratis, nolentibus preces audire, insultarem.

V. 15. *Laesere*, immutavere. A viridi aetate sua misericordiae caussam ducit.

V. 16. *Venit*, advenit senectus, quae curvos ac tarde incedentes reddit.

V. 17. *Natalem primum*, diem quo natus fui, diem ortus mei celebrarunt.

V. 18. *Fato pari*, eodem genere mortis.

» *Consul uterque*, Hirtius et Pansa bello Mutinensi interfecti V. C. D. CC. XI.

» *Quum cecidit*. Versiculus hic Tibulli non est. Verum homines male feriati, quum hoc loco intercidisse pentametrum viderent, neque lacunam aequo animo ferre possent, hunc versum ex Ovidii Et. 10. lib. 4. Trist. audacter sumserunt, ac Tibullo affinxerunt, pannum quidem splendidum assuentes, sed ex aliena purpura.

V. 22. *Tertia regna*. Quum Iuppiter, Neptunus, Pluto, qui et Orcus, et Dis pater, Saturni patris hereditatem sorte dividerent inter ae, caeleste regnum Iovi, marinum Neptuno, subterraneum Plutoni obtigit: quod tertium, seu postremum est in rerum universitate. Hoc autem incolunt et alii dii; quibus tamen omnibus Pluto imperat.

V. 23. *Olim liceat*, alio tempore, tardius mihi concedatur invisere.

V. 24. *Cimmerios*. Inferorum lacus *Cimmerios* vocat, propter obscuritatem. Cimmerii enim Homero populi sunt caliginoso aere ac nebuloso tecti, apud quos densae ac profundae silvae solis radios omnino excludunt. Ad hos accessit Vlixes, quum regionem mortuorum vellet invisere; tamquam inferorum aditum et ianuam.

V. 27. *Vtinam*, dii faciant, ut febris, qua laboro, frustra me terreat aestu suo vano, non funesto; ardore suo minime periculoso.

At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae,
  Et facilis lenta pellitur unda manu. 30
Vivite felices, memores et vivite nostri,
  Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
  Et nivei lactis pocula mixta mero.

V. 29. *At vobis celebrantur.* Interea a vobis frequentantur, coluntur; lymphae salubres cui praesunt numina; nam fontes numen habere Veteres prodidere.

V. 33. *Nigras pecudes.* Victimae atri coloris, Plutoni et manibus caedebantur.

V. 33. *Promittite*, vovete, spondete pro meo capite ac salute. Infernis enim diis animas pecudum pro vita hominum compensationem dabant.

V. 34. *Et lactis*, lac, mel, sanguinem, vinum diis inferorum libabant.

ELEGIA VI.

Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis
  Semper; sic hedera tempora vincta geras.
Aufer, et ipse meum, pater, et medicare dolorem:
  Saepe tuo cecidit munere victus Amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho: 5
  I, nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curae genus, ite labores:
  Fulserit hic niveis Delius alitibus.

Arg. Eleg. VI. *Moerore confectus, curas ebrietate abigere statuit. Est autem Elegia suavissima, et miris animi perturbationibus plena.*

V. 1. *Candide.* Bacchum candidum appellat, vel quod pulcher tenerque effingeretur, vel quod vinum potores efficiat candidos et veraces.

» *Mystica vitis.* Nam in sacris Bacchi, quae et mysteria, et orgia, et initia dicebantur, magnus erat vitis usus, palmitum, pampinorum, uvarum.

V. 2. *Hedera.* Liberi patris corona hederacea erat, tum quia Nymphae Nysiades puerum in cunis iacentem frondibus hederae iniectis occluerunt, ne a Iunone eum perdere optante conspiceretur, tum ob memoriam dilecti pueri Cissi in hederam mutati.

V. 3. *Et medicare dolorem*, sic ex sententia Wacker emendavimus, nam et *pariter medicande* longius videtur accersitum, si ad Ariadnam referas, sin minus, prorsus friget; et vulgaris lectio *pariter medicando*, ob gerundium in *o* correptum, Brouck., Burmann., aliisque minime probatur. Ed. Taur. vol. II. p. 316.

V. 4. *Cecidit*, a te victore supplantatus; vel cessit.

V. 5. *Puer*, famule, pocillator.

» *Madeant*, spument, impleantur.

V. 6. *Prona manu*, larga, ad ministrandum inclinata, quae lagenam invertat.

V. 7. *Durum genus*, saeva progenies.

» *Labores*, animi angores.

V. 8. *Fulserit*, fulgeat hoc die Apollo (hic pro *sole* seu *die* accipiendus) candidis avibus, prospera ac laeta portendentibus; prosperis auguriis. Optat, ut candidus, felix, serenus transeat dies, quo cupit genio indulgere.

Vos modo proposito dulces faveatis amici,
  Neve neget quisquam me duce se comitem. 10
Armeniae tigres, et fulvas ille leaenas
  Vicit, et indomitis mollia corda dedit.
Haec Amor, et maiora valet. Sed poscite Bacchi
  Munera: quem vestrum pocula sicca iuvant?
Convenit ex aequo, nec torvus Liber in illis, 15
  Qui se, quique una vina iocosa colunt.
Iam venit iratus nimium nimiumque severis;
  Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his poenas, qualis quantusque minetur,
  Cadmaeae matris praeda cruenta docet. 20
Sed procul a nobis hic sit timor: illaque, si qua est,
  Quid valeat laesi, sentiat, ira dei.
Quid precor, ah, demens? venti temeraria vota,
  Aeriae et nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neaera; 25
  Sis felix, et sint candida fata tua.

V. 9. *Proposito faveatis*, ital. *secondate il mio pensiere.*

V. 11. *Armeniae.* In saltibus Armeniae tigres et leaenae stabulantur ferocissimae. Finxerunt autem Veteres, Bacchum tigres ac leaenas, quas perdomuisset, curru suo iunxisse; ut significarent, nullum esse hominem tam difficilis naturae, quin emolliatur et frangatur bibendo.

» *Ille*, Bacchus scil.

V. 12. *Indomitis*, immanibus et non antea domitis feris dedit mansuetos spiritus; indomitas feras mansuefecit.

V. 13. *Amor.* Non equidem negaverim, ait, nonnumquam ab Amore Bacchum rebus gestis aequari et superari. Nihilominus ne despondeamus animum, experiamur quid efficere possit vini vis.

V. 14. *Sicca*, cuinam vero vestrum placare possunt pocula vacua?

V. 15. *Ex aequo*, una, libenter. Nulla Baccho cum libenter potantibus discordia est.

» *Nec torvus*, nec iratus ac supercilio subducto, sed mitis et placidus est in illis, illos aspicit.

V. 16. *Iocosa*, quae hilaritatem excitant.

V. 16. *Colunt*, ital. *fanno onore.*

V. 17. *Iam venit iratus*, sed iam irascitur, iratum se praebet.

» *Nimium nimiumque*, praeter modum.

» *Severis*, siccis, sobriis, abstemiis.

V. 18. *Numina magna*, formidandam potentiam. Dii irati maiore ac terribiliore specie mortalibus apparere credebantur.

V. 19. *Quales*, quam graves.

» *Qualis quantusque*, et quam foedos, et quam terribilis.

V. 20. *Cadmaeae matris.* Pentheus Thebarum rex Bacchi orgia contemnebat. Hunc Agave mater, Cadmi filia, quum per silvam discurreret iisdem sacris operata, in veteri lentisco latentem deprehendit, visaque sibi leonem sive aprum cernere, caput illi gladio recidit, avulsumque circumtulit.

V. 21. *Illaque*, Neaera scil.

» *Si qua est*, si usquam est, si vivit.

V. 23. *Quid precor?* Iucunda correctio optati impotentis.

V. 24. *Diripienda ferant*, diripiant disperdant.

Digitized by Google

At nos securae reddamus tempora mensae:
  Venit post multos una serena dies.
Hei mihi, difficile est imitari gaudia falsa:
  Difficile est tristi fingere mente iocum. 30
Nec bene mendaci risus componitur ore,
  Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curae:
  Odit Lenaeus tristia verba pater.
Gnosia, Theseae quondam periuria linguae 35
  Flevisti ignoto, sola relicta, mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
  Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: Felix, quicumque dolore
  Alterius disces posse carere tuo. 40
Naida Bacchus amat: cessas, o lente minister?
  Temperet annosum Marcia lympha merum.

V. 27. *Reddamus.* Multis exantlatis laboribus, reliquum tempus genio et iucundae comessationi deberi videtur: quamobrem Tibullus verbo *reddendi* elegantissime usus est.

V. 28. *Post multos*, scil. dies nubilos, tristes.

V. 29. *Hei mihi.* Affectionis subita commutatio.

» *Gaudia falsa*, fictam laetitiam, vultu simulare laetitiam minime sinceram.

» *Imitari*, nimirum, in dolore ita imitari gaudentem, ut sola imitatio gaudii vera sit, gaudium ipsum fictum.

V. 32. *Ebria verba*, sunt ebriorum propria, levia nimirum, futilia, temeraria, inconsiderata.

V. 33. *Turpes*, ital. *disdicevoli*, convivio minus convenientes.

V. 34. *Lenaeus pater.* Lenaeus, unum e Bacchi cognominibus a graeca voce derivatum, quae praelum seu torcular significat, per quod vinum ex uvis exprimitur.

V. 35. *Gnosia.* Convertit sermonem ad Ariadnam, Minois Cretae regis filiam, quam Theseus a domo patris abductam, immemor beneficiorum, in insula Naxo dormientem reliquit. Huic se confert Tibullus: Neaeram vero *Gnosiam* vocat, quod Gnosos fuerit una e celeberrimis Cretae urbibus. - Quod ego nunc, experta fuisti et tu, o Ariadna, quae olim sola relicta plorans conquesta fuisti de periuriis linguae Theseae mari ignoto, ital. *coll' ignoto mare;* nempe in litoribus desertis, surdum mare allocuta flevisti.

V. 37. *Sic cecinit pro te.* Te conquerentem ac diras Theseo imprecantem induxit Veronensis Poeta in poemate quantivis pretii de Nuptiis Pelei ac Thetidos, verbaque et sententias dolori tuo pulcherrime accommodavit.

» *Minoi*, Minois filia.

» *Doctus Catullus*, cognomen hoc Catullo Veteres omnes tribuere.

V. 38. *Ingrati viri*, Thesei.

V. 41. *Naida*, vinum aqua misceri ac temperari postulat. Bacchus enim, ut est in fabulis, a Nymphis Naisdibus educatus fuit: quod Poeticum figmentum significat, merum aqua dilui ac mitigari oportere.

» *Cessas*, increpat puerum pocillatorem, quod piger sit in praebendis poculis.

V. 42. *Marcia lympha.* Aqua haec omnium aquarum Romanis fuit celeberrima. Ab Anco Marcio, Romanorum rege, vel a Q. Marcio praetore in urbem inducta, ab auctore suo nomen habuit.

Sollicitus repetam haud tota suspiria nocte :
Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.
Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo 45
Debueram sertis implicuisse comas.

V. 43. *Sollicitus repetam*, nunquam erit, ut renovem, iterem suspiria et gemitus per totam noctem.

V. 44. *Fortius*, strenue atque impigre magis, nam adverbium est. Largius ingere.

V. 45. *Iam dudum*. Hac particula tempus non longum in re praesente significari, animadvertit Broukhusius, eamque pluribus Veterum testimoniis illustravit. Iam ante.

V. 45. *Madefactus*, unctus capillos circum tempora oleo nardino, quod exprimebatur e frutice pretioso in Syria nato. Veterea Romanos, quum convivia inirent unguentis caput ungere, et coronis frontem redimire consueviase, notissima res est.

ALBII TIBVLLI
LIBER IV.

CARMEN I.

Te, Messala, canam, quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmae nequeant subsistere vires:
Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant, humilis tantis sim conditor actis:
Nec tua praeter te chartis intexere quisquam 5
Facta queat, dictis ut non maiora supersint:
Est nobis voluisse satis. Nec munera parva
Respueris: etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit: et cunctis Baccho iucundior hospes

Arg. Carm. I. *Laudat Messalam, patronum suum, virum eximium, a civili prudentia, eloquentia, militari scientia, et rebus gello gestis: eumque toto terrarum orbe illustrem futurum vaticinatur.*

V. 1. *Te Messala.* Dubitatur a nonnullis, utrum hoc poema vere Tibullum habeat auctorem, ob stili differentiam. Tibullus enim, qui se nitidum et cultum in Elegiis adeo praestitit, ut, Quinctiliani iudicio, ceteros omnes Elegiae scriptores post se reliquerit, hoc in Carmine sui omnino dissimilis deprehenditur. Fortasse, inquit clarissimus Vulpius, Albius noster, vix pueritiam egressus, hoc poema cumposuit, *viribus* adhuc *infirmis*, ut ipse ait de se. Latina tamen omnia sunt, ac purissimae quidem latinitatis, quae manifesto clamet Augusteum illud aevum. De Messala, vide Eleg. 1. lib. 1.

» *Virtus.* Si de Messalae virtute Poetam loqui velimus, virtus militarem fortitudinem, tum opes, potentiam, vim eloquentiae significaverit; siu potius de sua, virtus significabit vires ingenii, ac dicendi facultatem, quam Poeta, qua erat animi moderatione, sentiebat sibi exiguam esse, atque imparem laudibus Messalae celebrandis. Terrebatur itaque conscientia imbecilli tati s suae. Propterea inquit, *cognita;* scil. cuius probe sum conscius.

V. 2. *Terret*, subaudiendum *ita.*

» *Subsistere*, excipere, ac sustinere vim et pondus tanti argumenti.

V. 4. *Deficiant*, h. e. si poesis mea laudum, quas mereris, pondus ferre non possit.

» *Conditor*, scriptor rerum a te tam praeclare gestarum.

V. 5. *Praeter*, mira laus a facundia et bonis artibus.

» *Intexere*, litteris mandare.

V. 8. *Respueris*, reieceris, aspernatus fueris.

V. 9. *Cres tulit.* Apollo Pythone serpente occiso Delphicum templum et oraculum sibi ipse excitavit; et Cretenses quosdam ex Gnoso Minoia probos ac pios delegit, qui sibi sacra facerent. Existimat Barthius, horum ducem Cetem a Tibullo vocari, quem sacris praefectum Phoebus alloquebatur. Hanc fabulam copiose persequitur Homerus Hymno in Apollinem a v. 382.

» *Tulit*, Cres obtulit Phoebo dona gratissima, licet parva.

Digitized by Google

Icarus, ut puro testantur sidera caelo, 10
Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas.
Quin etiam Alcides deus adscensurus Olympum
Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Parvaque caelestes pacavit mica; nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu. 15
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi:
Qualis in immensum descenderit aera tellus;
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem; 20
Et, vagus a terris qua surgere nititur aer,
Huic ut contextus passim fluat igneus aether,
Pendentique super claudantur ut omnia caelo.
At quodcumque meae poterunt audere camoenae,
Seu tibi par poterunt, sed quod spes abnuit ultro, 25

V. 10. *Icarus.* Erigones pater qui Bacchum liberaliter hospitio accepit. Hic hospitem suum utre vini pleno remuneratus est, iussitque ut ad finitimos vitis sationem ac vindemiam propagaret. Icarus deinceps onerato plaustro cum Erigone filia, et cane Moera, ad vicinos quosdam pastores devenit, et cum iis dei munus communicavit. Pastores, quum immoderatius bibissent, ebrietate correpti sunt. Putantes igitur se ab Icaro tentatos veneno, eum fustibus occiderunt, et cadaver insepultum abiecerunt. Canis autem Moera ululans id Erigone monstravit. Puella infortunio consternata, in arbore proxima se suspendit. Icarus postea et Erigone, deorum voluntate, in astrorum numerum relati fuere. Erigone in signis Zodiaci Virgo est: Icarus in sideribus est Arcturus: Canis ipse Moera, Canicula vocatur; vel Anticanis, Canis minor.

» *Puro*, sereno. Nubilis enim noctibus astra non apparent.

V. 11. *Neget*, ne ob longinquam aevi vetustatem, sera posteritas fidem habere nolit iis quae de Icaro, Bacchi hospite, tradita sunt.

V. 12. *Deus adscensurus*, caelum adscensurus deorum ordini adscribendus.

V. 13. *Laeta posuit vestigia*, hilares pedes intulit, hilaris Molorchi domum introiit; non dedignatus hospitis paupertatem, quum iussu Euristhei iret occisum leonem Nemaeum; quo interfecto ad Molorchum in agro Cleonaeo, non procul a silva Nemaea, rediit, eique omnem illum agrum donavit.

V. 14. *Parvaque mica*, granum vel turis, vel etiam salis, leuivit, ex iratis propitios fecit deos.

V. 15. *Inaurato.* Inaurabant Antiqui victimarum cornua

V. 19. *Descenderit*, quomodo terra in aere immenso descendendo constiterit.

V. 20. *In curvum orbem*, in rotundam figuram, quam efficit Oceanus, amplexu suo terram ambiens.

V. 21. *Vagus*, huc illuc permeans.

» *A terris*, tellure subtus relicta.

» *Qua*, qua ratione quomodo sursum tendere conetur.

V. 22. *Huic ut contextus.* Quod enim in aere est partium tenuissimarum, id igneam atque aetheriam naturam efficit, quae postremo desinit in caelestem; adeo ut elementorum omnium rerum naturam componentium sit unus contextus et continuatio, molli admodum transitu.

V. 23. *Pendentique super*, caelo desuper imminente contineantur.

V. 25. *Tibi par*, merito tuo convenienis poterunt canere.

» *Sed quod*, quod tamen spes ipsa polliceri non audet, quamvis large promittere solita sit. At forte non

Sive minus, certeque canent minus, omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi nomine charta.
Nam, quamquam antiquae gentis superant tibi laudes,
Non tua maiorum contenta est gloria fama,
Nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat, 30
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores, maius decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Convenientque tuas cupidi componere laudes 35
Vndique, quique canent vincto pede, quique soluto.
Quis potior, certamen erit : sim victor in illis,
Vt nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te maiora gerit castrisve, forove?
Nec tamen hinc, aut hinc, tibi laus maiorve, minorve: 40
Iusta pari premitur veluti quum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa,
Qualis, inaequatum si quando onus urget utrimque
Instabilis natat alterno depressior orbe.
Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi, 45
Non alius sedare queat: seu iudicis ira

incommode cum Scaligero legeres, *Seu tibi par poterunt. seu, quod spes abnuit, ultra, sive minus etc.* Ac si diceret, *Seu condam aliquod carmen par tibi, seu maius et ultra te, sive minus etc.* Verum sequere quid magis libuerit.

V. 28. *Antiquae gentis.* Antiqua gens Valeria, a Valerio Voleso, qui Romam e Sabinis venit cum Tatio. Ex gente Valeria plures familiae fuerunt, cognominibus distinctae, Maximi, Publicolae, Flacci, Messalae, Corvini, etc.

» *Superant*, supersunt, vel abundant.

V. 30. *Nec quaeris*, nec scire laboras, nec curas.

» *Index*, subscriptae cuique imagini litterae: titulus.

V. 31. *Contendis*, certas, niteris superare.

V. 32. *Maius decus*, ipse futurus maius decus, ornamentum posteris tuis, quam tibi fuerunt maiores.

V. 33. *Titulus sub nomine*, scriptio post nomen, quae nomen subsequatur, honores et merita significans, non complectetur tua facinora, sed habebis ingentia volumina immortalibus carminibus conscripta.

V. 35. *Convenient*, ex omni parte confluent cupidi celebrandi.

» *Laudes*, fortia facta.

V. 36. *Vincto pede*, versu nimirum et prosa.

V. 37. *Quis potior*, certabunt inter se quis potior, scil. praestantior sit habendus.

» *Sim victor*, utinam in eo certamine palmam referre possim.

V. 39. *Nam*. Messalam ob virtutem bellicam et eloquentiam laudat.

V. 40. *Hinc aut hinc*. Par tibi laus a castris et foro.

V. 42. *Prona*, inclinata deprimitur.

» *Surgit*, in sublime attollitur.

V. 43. *Qualis*, quomodo, si pondus inaequale ex utraque parte premit, mobilis, incerta fluctuat, vacillat nunc dextra, nunc sinistra lance magis inclinata.

V. 45. *Diversi*, dissentiens, a bonis diversa sentiens tumultuetur vulgus inconstans.

V. 46. *Ira*, iratus iudex placandus.

Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos, aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvae magnum decus urbis Vlixen.
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem 50
Saecula fertilibus Titan decurrerit horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus excluditur undis.
Nam Ciconumque manus adversis repulit armis:
Nec valuit Lotos coeptos avertere cursus: 55
Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis;
Victa Maroneo foedatus lumina Baccho:
Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos.

V. 48. *Pylos*. Tres in Peloponneso Pyli fuerunt, Eliaca, Triphyliaca, Messeniaca: singulae autem alumno Nestore gloriabantur. Ceterum Strabo lib. 8. Geograph. vero simillimum existimat, Pylum ubi regnavit Nestor, Triphyliacam fuisse.

» *Ithace*, parva insula maris Ionii, patria Vlixis.

» *Tantos genuisse*, tam claros, tam excellentes viros procreasse dicuntur.

V. 50.-51. *Dum terna saecula*. Nestor ex Cic. de Senectute tres hominum aetates vixit. Opinio est per manus tradita, Nestorem trecentos annos vixisse. Non defuerunt tamen qui scriberent nonagiota natum annos demum obiisse: saeculum enim pro spatio centum annorum non semper accipitur; sed interdum etiam pro annis triginta.

V. 51. *Fertilibus horis*. Horae dicuntur anni tempestates, quae omnia secum ferunt et auferunt, resque humanas immutant. *Fertilis* a *ferendo*.

V. 52. *Ille*, Vlixes.

V. 53. *Tellus excluditur*, quasi extra clauditur: Oceanus enim, quod mare ultimum dici potest, terras ambit exterius.

V. 54. *Nam Ciconumque*, pro *namque manus Ciconum*, ut Passeratius advertit, h. e. copias, coactam multitudinem Ciconum in fugam vertit. *Cicones*, Thraciae populi sunt, ad quos Vlixes post diruta Troiam, dum in patriam rediret, tempestate delatus appulit. Horum urbem primariam Ismarum expugnavit, sed postea, multis suorum amissis, fugam arripere coactus fuit.

» *Adversis armis*, cominus pugnando, oppositis armis.

V. 55. *Lotos*. Quum Ciconas reliquisset Vlixes, ad *Lotophagos* delatus est, homines minime malos in Africa, qui *Lotum* edebant, qui cibus tam suavis gusto fuisse dicitur, ut eos qui gustarent in patriam redeundi oblivio caperet. Ad eos ab Vlixe duo socii missi fuerunt, qui, quum herbas ab eis datas gustassent, ad naves iterum reverti obliti sunt, quos vix tandem vinctos ipse reduxit.

» *Coeptos cursus*, iter institutum.

V. 56. *Neptunius*. Polyphemus Cyclops Neptuni filius, qui in Sicilia sub Aetna monte habitavit, quem Vlixes vino Ismario delinitum somnoque sepultum, torre obusto excaecavit.

V. 57. *Victa lumina*, unicum oculum, quem sub fronte Polyphemus gerebat, vino somnoque domitum et oppressum.

» *Maroneo*, vino ita dicto a Maronea, litorali Thraciae urbe; quod vinum *Ismarium* appellavit Propertius.

» *Foedatus*, turbatus videlicet sanguine ex oculo effusso defluente.

V. 58. *Aeolios ventos*, Aeolo regi parentes. Narrat Homerus initio lib. 10. Odyss. Vlixen ad Aeolem in insulam Aeoliam venisse, ibique benigne acceptum, ab hospite suo donatum fuisse utre ex corio bubulo, in quo venti omnes inclusi essent, praeter Zephyrum.

» *Per Nerea*, per mare tranquillum, obstrictis aliis ventis praeter Zephyrum. Nereus, deus marinus, pro mari.

Incultos adiit Laestrigonas, Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda: 60
Solum nec doctae verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret, Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces:
Quis numquam candente dies adparuit ortu, 65
Sive supra terras Phoebus, seu curreret infra.
Vidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna deum proles levibus discurreret umbris,
Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminae nantem confinia mortis, 70
Nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,
Quum canibus rabidas inter freta serperet undas,

V. 59. *Laestrigonas*, crudeles populos, gigantibus similes, humana carne vicitantes. In Italia Formias Campaniae urbem incoluisse dicuntur. Vide Plin. lib. VII. Hist. Nat. c. 2. Horum Rex fuit Antiphates, qui, uno e sociis Vlixis dilaniato, humanis dapibus sibi coenam apparavit.

V. 60. *Artacie*, fons eo nomine celeber apud Laestrigonas.

V. 61. *Solum*. Solus enim Vlixes a Circe discessit intactus eius veneficiis, solus scil. ex illis, qui, relictis navibus, aedes veneficae ingressi fuerunt, et cum ea versati.

» *Doctae*, artis magicae peritae.

» *Verterunt*, mutaverunt ex homine in suem.

V. 62. *Solis genus*, filia Solis Circe.

V. 63. *Veteres figuras*, antiquas formas, et priores.

V. 64. *Cimmeriorum*. Cimmerii, ait Pompeius Festus, dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt. Quales fuerunt inter Baias et Cumas, in ea regione, in qua convallis satis eminenti iugo circumdata est: quae neque matutino, neque vespertino tempore Sole contingitur. Hinc proverbium *Cimmeriae tenebrae*.

» *Accessit*, pervenit ad tenebroas Cimmeriorum regiones.

V. 65. *Candente ortu*, albente caelo, ital. *sull'alba*.

V. 66. *Sive supra terras*. *Antipodas* videtur hic agnoscere et fateri Tibullus. De ascensu matutino Solis, et de eiusdem versus terram ad vesperem descensu, putat intelligendum Heyn.

V. 68. *Magna deum proles*, heroes diis geniti.

» *Discurreret*, huc illuc volitaret, et vagaretur.

» *Levibus umbris*. Leves umbrae hic sunt simulacra mortuorum, inania, sine corpore.

V. 69. *Praeteriit*, praeternavigavit veloci nave maritimam oram Sirenum obturatis cera sociorum auribus.

» *Litora*, oram maritimam Siciliae iuxta Pelorum promontorium ad Acheloi fluminis ostium. Veteres nummi Sirenas exhibent vultu quidem virgineo, sed parte corporis inferiore in avem desinente, gallinae non absimilem; in parte superiore alas habentes in humeris, tibiam vel lyram in manu.

V. 70. *Geminae mortis*, Scyllam scopulum infamem, et Charybdin voraginem in freto Siculo *mortem geminam* vocat.

V. 71. *Scyllae impetus*, h. e. Scylla impetum habens, violenta.

» *Saevo ore*. Scyllae Homerus capita sex horribilia, tres dentium ordines densos et frequentes ad morsum paratos tribuit.

V. 72. *Quum canibus*. Ni malles eo sensu quo dicimus *vivere vitam*, *currere viam*, usurpare quoque *serpere undas*, et legere *Quum* scilicet Scylla *serperet undas rabidas canibus inter freta*, legito cum Passerio ex quibusdam apogr.: *Quum canibus rabidas inter* FERA *serperet undas*.

» *Serperet*. Serpebat Scylla, quia ei duodecim pedes Homerus attingit.

Nec violenta suo consumsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum. 75
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor et foecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis et erroris miseri Phaeacia tellus.
Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem; 80
Sit labor illius, tua dum facundia maior.
Iam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos:
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo, 85
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores:
Vt facilisque tuis aditus sit, et arduus hosti:
Laudis et assiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Iecerit, aut lento perfregerit obvia pilo: 90

V. 73. *Suo more*, mos hic est natura.

V. 74. *Si* pro *dum*.

» *Imo*, ab imis undis.

V. 75. *Interrupto*, impetu maris represso fundum retegeret, atque aperiret.

V. 76. *Violata*. Temerata loca, in quibus pascebantur boves Soli sacrae, caesis et mactatis ipsis armentis.

» *Vagi*, libere per aerem vagantis.

V. 77. *Amor Calypsus*. Vlixes ad Ogygiam insulam delatus, ubi Calypso habitabat, ab ea adamatus fuit. Calypsum Atlantis filiam vocat Homerus, Ogygiae ager fertilis et amoenus celebrabatur.

V. 78. *Erroris*, maris nempe, viarum et diuturnae iactationis. Quum enim perveniisset Vlixes ad Alcinoum Phaeacum Regem, a longis laboribus quiescere coepit: Regis enim ope ac benefficentia in patriam Ithacen aditus ei patefactus est.

» *Phaeacia tellus*, ital. *Corfù*.

V. 79. *Seu nostras*. Praepositio *inter* valet *intra*. Sive haec sunt gesta intra orbem nobis notum, sive fabulose acta narrentur in parte mundi nobis ignota.

V. 81. *Sit labor*. Dicatur Vlixes pertulisse graviora, vindicet sibi laudem paticulis.

V. 81. *Tua dum*, dummodo tua facundia dicatur maior facundia Vlixis, cuius eloquentiam tota Graecia admirata est.

V. 82. *Tenet*, nemo commodius, decentius te callet militares artes, qua ratione, vel parte conveniat, expediat ducere fossam ante castra, fossa castra praecingere.

V. 84. *Qualiter*, quo modo.

» *Adversos*, e regione oppositos, in quos hostis incurrat.

» *Cervi*, hoc loco sunt furcillati rami. Cervis antiquorum hodie respondent quos vocamus *cavalli di Frisa*.

» *Defigere*. In terram demittere.

V. 85. *Ducto vallo*, ducere vallum, ital. *tirare una trincea*.

V. 86. *Erumpat*, ut terra copiose emittat e fontibus dulces aquas. Ducum enim est, ne castra in arido, et aquae inopi loco ponantur.

V. 88. *Laudis certamine*, ut in castris ab hostium insidiis bene munitis miles se se exerceat cum commilitonibus de laude, nempe de factis laudabilibus certando.

V. 89. *Quis*, scil. quis illorum.

» *Tardamve sudem*, praeacutum palum gravis ponderis.

V. 90. *Lento pilo*, iaculo et hastili Romanorum proprio, quod in hostem

Aut quis equum celerem arctato compescere freno
Possit, et effusas tardo permittere habenas:
Inque vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curvo brevius compellere gyro:
Quis parma, seu dextra velit, seu laeva tueri, 95
(Sive hac, sive illac veniat gravis impetus hastae)
Amplior, aut signata cita loca tangere funda.
Iam simul audacis veniunt certamina Martis,
Adversisque parant acies concurrere signis:
Tunc tibi non desit, faciem componere pugnae, 100
Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplici seiunctim cernere Marte,
Dexter uti laevum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex geminis victoria castris. 105
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano: testis mihi victae
Fortis Iapidiae miles: testis quoque fallax

coniectum crispabatur, tenaciterque adhaerebat.

V. 90. *Perfregerit*, penitus fregerit, transverberarit quaecumque in itinere occurrentia, obstantia. Pilum a milite Romano iactum ita vehemens erat, ut scutatos pedites, ac loricatos equites transverberaret.

V. 92. *Effusas*, immissas.

» *Tardo*, lente incedenti ex opinione sessoris.

V. 93. *Contendere*, tendere, pergere; vel certare cum sociis pariter equitantibus.

V. 94. *Curvo gyro*, in orbem flectere et circumagere.

» *Brevius*, angustiore spatio.

V. 95. *Parma*, scuto brevi et equestri.

» *Dextra*, quae ad dexteram sunt, vel ad laevam manum protegere velit.

V. 96. *Sive hac*, sive a dextra, sive a leva, id est, undequaque hasta veniat, eam ad partem clipeum seu parmam convertat.

» *Veniat*, feratur, volet.

V. 97. *Amplior*, scil. quis doctior, praestantior.

» *Signata loca*, sunt loca oculis notata, et designata, *luoghi tolti di mira*. Nos Itali dicimus *il bersaglio*.

» *Cita funda*, ex qua glans plumbea, vel lapis excutitur summa celeritate et impetu.

V. 97. *Tangere*, percutere, ferire.

V. 98. *Iam*, pro *praeterea*.

» *Simul*, simul ac instant vera et expressa, non ficta et adumbrata certamina.

V. 99. *Concurrere*, pro cursu utrimque facto confligere.

V. 100. *Non desit*, tunc tibi facile, in promptu est, exercitum ordinare, sive opus sit, ut cohortes stent in agmine quadrato, ut directi ordines extendantur in longitudinem frontibus aequatis.

V. 103. *Seiunctim*, separatim certare duobus exercitibus, acie bipartita.

» *Cernere* est decernere pugnare. Aen. III. v. 709.

V. 104. *Dexter*, ut miles Romanus qui est in dextro latere, sinistras adversariorum coplas lacessat, ac pugnando detineat; qui est in sinistro, cum dexteris hostium copiis confligat; atque ita duplex victoria a duobus exercitibus quodammodo referatur.

V. 106. *At non*, neque vero mea carmina vagantur per incertas laudes, quasi nihil certi et explorati possim afferre.

V. 107. *Experta*, quae ipse hisce oculis vidi et expertus sum.

V. 108. *Iapidiae*. lapides, gens Il-

Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes.
Testis Arupinas et pauper natus in armis, 110
Quem si quis videat, vetus ut non fregerit aetas,
Terna minus Pyliae miretur saecula famae.
Centum foecundos Titan renovaverit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Gaudet equum, validisque sedet moderator habenis. 115
Te duce non alias conversus terga domator
Libera Romanae subiecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris: maiora peractis
Instant, compertum est veracibus ut mihi signis,
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus. 120
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni:
Splendidior liquidis quum Sol caput extulit undis,
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec assuetos egerunt flumina cursus. 125

lyrica, pugnax et latrociniis famosa. Hos aliosque populos hic a Tibullo memoratos debellavit Augustus. In his tamen bellis egregia Messalae virtus enituit, qui solos Salassos ductu suo perdomuit.

V. 108. *Fallax*, infidus quia rebellarat.

V. 109. *Disiectus*, inordinate repulsus, se recipere coactus in Alpium iuga.

V. 110. *Arupinas*, Arupinates, Arupini, lapidiae oppidi incolae.

» *Natus in armis*, ob paupertatem nutritus inter arma. Nam rei familiaris inopia ad bellum cogit.

V. 111. *Quem si quis*, quem Arupinatem si quis videat, quomodo senecta non debilitarit, minus ei mirum videretur, Nestorem Pylium trecentos annos vixisse.

V. 113. *Centum*. Quamvis Sol renovaverit, percurrerit centum fertiles annos.

V. 114. *Velox*, vel ipse velox, veloci saltu; vel corpus velox.

» *Edere*, attollere corpus super equum, insilire expeditus in citatum equum.

V. 115. *Sedet*, insidet moderans fortes, firmas habenas, tamquam fortis, validus equiso.

V. 116. *Non alias*, non alio tempore Arupinas equorum domitor, converso tergo, capta fuga, subiecit colla ad id tempus libera Romano iugo.

V. 116. *Domator* pro *domitor*.

V. 120. *Melampus*, certissimus vates, maximaeque auctoritatis, Amythaonis filius, Biantis frater.

V. 121. *Modo*, nuper.

» *Fulgentem*. His verbis significat Messalae consulatum. Vestem purpuream sumebant consules, quae late splendebat.

» *Subtemen* est id quod subit stamini, filum, trama. Haec autem subtemina, priusquam ex illis panni texerentur, purpura tingi solebant, vel, quod verius existimo, lana ipsa ex qua subtemen.

V. 122. *Oriente die*, surgente die.

» *Duce*, h. e. kal. Ian. quibus novi consules solemne votum suscipiebant. Erat hic annus V. C. n. cc. xx. iii. quo Coss. fuere Imp. Caes., iii., M. Val. Messala Corvinus.

V. 123. *Splendidior*. Omen felicis anni a candidiore luce Solis primo anni die.

V. 124. *Tenuerunt*, cohibuerunt flatus suos indomites, violentos.

V. 125. *Curva*, flexuosi amnes.

» *Egerunt*, solitos cursus tenuerunt.

Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis,
Nulla nec aerias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
Quin largita tuis sunt multa silentia votis.
Iuppiter ipse levi vectus per inania curru 130
Adfuit, et caelo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus se praebuit aure,
Cunctaque veraci capite annuit. Additus aris
Laetior eluxit structos super ignis acervos.
Quin hortante deo magnis insistere rebus 135
Incipe: non iidem tibi sint, aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris:
Nec fera Theraeo tellus obsessa colono,
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaspes 140
Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gindes

V. 126. *Rapidum*, fervens, conciatum.

V. 127. *Nulla nec*. Negatio duplex pro simplici.

» *Aerias*, sublimes, paullo altiores.

» *Perlabitur*, volavit, perstrepuit.

V. 128. *Quadrupes aspera*, nec ulla hirsuta fera pascendo edidit sonum.

V. 129. *Largita*, quin immo omnia cum magno longoque silentio audiverunt, vota quae consul nuncupasti pro Populo Romano.

V. 130. *Levi curru*, volucri quadriga delatus per aera vacuum interfuit.

V. 131. *Olympum*. Olympum Tibullus facit hic deorum sedem, caelo altiorem et superiorem, unde tamen in caelum proximus ait descensus, ut advertit Douza ex Homero.

V. 132. *Se praebuit*, attentas praebuit aures votis tuis, et sincero nutu capitis omnia adprobavit.

V. 133. *Additus aris laetior*, ignis positus in aria clarior effulsit supra grana turis aggesta et cumulata.

V. 135. *Deo*, Iove impellente, inhaerere magnis rebus, urgere illustria facta incipe: non iidem tibi sint triumphi, non eadem gloria, quae ceteris contigit.

V. 137. *Nec te vicino*. Iis verbis quasi praesagientis animi quodam vaticinio, illum Messalae triumphum auguratur, quem quarto post anno egit de subactis Aquitanis. Nec Gallia tibi occurrens proximo tumultu retinebit, aut retardabit, quin Galliis domitis ad ulteriores nationes debellandas pergas.

V. 138. *Audax Hispania*. Hispani veteres, sive Iberi, non latrociniis tantum infames fuerunt, verum etiam fortes et strenui, belloque clarissimi.

V. 139. *Theraeo colono*, Africam Cyrenaicam intellige, cuius habitatores ex insula *Thera*, duce Batto, profecti sunt. Vulpius ex emend. Scal. legit: *Nec fera te Tyrio*, et de Carthagine intelligendum putat.

V. 140. *Nilus*. Non te remorabitur Aegyptus ab Augusto in provinciae formam redacta; nec illa regio, per quam delabitur fluvius Choaspes, cuius aquam Persarum Reges potare unam solebant ob singularem eius suavitatem, et quocumque ibant, secum ferri iubebant.

V. 141. *Rapidus*, violentus.

» *Gindes*, Asiae fluvius, qui in Tigrim influit.

» *Cyri dementia*. Cyrus Babylonem oppugnaturus, Gindem late fluvium vado transire tentavit. Ibi unus ex equis qui trahere regium currum alibi solebant, abreptus, vehementer commovit Regem. Iuravit itaque, eo se amnem illum redacturum, ut transiri, calcarique etiam a femina posset. Huc deinde omnem transtulit

Radit Arecteos haud una per ostia campos:
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe,
Impia nec saevis celebrans convivia mensis
Vltima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus, 145
Quaque Histrus, Tanaisque Getas rigat, atque Mosynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interiecto mundi pars altera Sole. 150
Nam circumfuso considit in aere tellus,
Et quinque in partes toto disponitur orbe,
Atque duae gelido vastantur frigore semper.
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore, 155
Sed durata riget densam in glaciemque, nivemque:
Quippe ubi non umquam Titan superingerit ortus.
At media est Phoebi semper subiecta calori,

belli apparatum, et tamdiu adsedit operi, donec C. et LXXX. cunicuiis divisum alveum in CCC. et LX. rivos dispergeret, et siccum relinqueret, in diversum fluentibus aquis. Periit itaque et tempus, et militum ardor, et occasio aggrediendi imparatos hostes. Ita Seneca lib. 3. de Ira, cap. 21., quem vide.

V. 142. *Arectei campi*, iuxta Babylonem et oppidum *Arec*, de quo mentio in cap. 10. Geneseos.

» *Haud una per ostia*, divisus enim a Cyro trecentis sexaginta ostiis evolvebatur.

V. 143. *Tomyris*, Massagetarum Regina, quae fines et terminos imperii sui Araxe Armeniae fluvio circumscripsit.

» *Vago*, late fuso.

V. 144. *Celebrans*, instruens impias epulas barbaris mensis. Nam Padaei, Indiae populi, orienti Soli proximi, aegrotantes, antequam morerentur, et senes mactabant, eorumque carnibus vescebantur.

V. 145. *Vltima arva*, extremas ad Orientem regiones, ultra quas nihil nisi Oceanus.

V. 146. *Histrus*, idem ac Hister, sive Ister, alio nomine Danubius, Getas ad ripas Danubii inferioris habitasse testatur Ovidius in Tristibus ac Ponticis Epistolis.

» *Tanais*, Scythiae fluvius, qui in Pontum Euxinum irrumpit.

V. 146. *Mosynos*. Hos populos Plinius in Ponticis gentibus numerat.

V. 147. *Quid moror?* Cur singula et minuta recensendo te diutius detineo?

» *Continet*, ambit, cingit.

V. 148. *Sese offeret*, se tibi obiiciet, ac remorabitur.

V. 149. *Invictus*, Romanis armis nondum penitus subactus. Devicerat quidem barbaros Britanniae populos secundis praeliis C. Caesar, qui subacti tandem fuerunt a Claudio Principe.

V. 150. *Pars altera*, terra pedibus nostris opposita.

» *Sole interiecto*, quod qui ab zona nostra temperata septentrionali velit ad oppositam australem migrare, debeat per zonam torridam transire, quam Sol semper insistit.

V. 152. *Quinque in partes*, zonas nimirum, fascias, cingulos; quibus respondent in caelo totidem.

V. 153. *Vastantur*, vastae, incultae et desertae manent.

V. 154. *Vmbra*, perpetua caligine obtegitur.

V. 155. *Perlabitur*, labitur quidem, non tamen decurrit quae coeperat currere, gelu durata, cuius vi stare cogitur.

V. 157. *Superingerit*, infundit, iniicit suos spiculs, radios.

Digitized by Google

Seu propior terris aestivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces. 160
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes praebent, nec pabula terrae.
Non illic colit arva deus Bacchusve Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, interque rigentes, 165
Nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,
Quas utrimque tenens similis vicinia caeli
Temperat, alter et alterius vires necat aer.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus:
Hic et colla iugo didicit submittere taurus, 170
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur aere:
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos, 175
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,

V. 159. *Propior terris*, temperatae nimirum zonae septemtrionali, quam habitamus.

» *Aestivum in orbem*, in circulum quem Sol describit diurna conversione quum Tropico Cancri propinquat.

V. 160. *Decurrere*, emetiri dies hiemales.

V. 161. *Presso*, depresso.

» *Consurgit*, attollitur, sulco ex vomere excitatis glebis.

V. 162. *Segetes*, agri arati et consiti; sata.

» *Terrae*, prata, silvae, campi.

V. 164. *Nulla nec*, eredebant sub zona torrida nullos esse habitatores, ne belluas quidem.

V. 166. *Huic adversa*, pars mundi altera, adversa, sive opposita huic solo nostro, est regio *Antichthonum*, sive *Antipodum*, qui tamen habitant zonam temperatam australem.

V. 167. *Vtrimque tenens*, hinc inde cingens, dextra laevaque complectens.

» *Similis vicinia*. Caeli enim et aeris propinquitas eadem fere est in duabus zonis terrestribus temperatis.

V. 168. *Necat*. Tibulli sententia est: In zonis temperatis, aerem calidum, qui movetur ab zona torrida vicina, misceri cum frigido, qui spirat ab zona frigida ex adverso, atque ita effici temperiem, extincto scil. nimio frigore, atque utroque in blandum teporem coalescente.

V. 169. *Placidus*, benignus clemens moderatus quatuor tempestatibus distinguitur; quum sub zona torrida perpetua sit aestas; sub rigentibus vero perpetua hiems.

V. 172. *Tondenturque*, pro tondentur maturi partus segetis annuae.

» *Seges*, terra sata.

» *Annua*, nomen loco adverbii, pro quotannis.

V. 173. *Confinditur*, finditur vomere ferreo tellus, aereis navium rostris, vel aeratis remis mare.

V. 175. *Ierint*, obtinuerint, promerita fuerint triumphos.

V. 176. *Solus*, solus Magni nomen obtinebis. Et quidem solus in orbe utroque, nam qui antea Magni dicti sunt, in una tantum orbis parte inclaruere.

» *Vtroque*, in utraque zona temperata, quas Antiqui solas habitabiles putabant.

V. 177. *Tantae laudis*, tantarum rerum laudabiliter gestarum.

Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
Est tibi qui possit magnis se accingere rebus
Valgius: aeterno propior non alter Homero. 180
Languida nam noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, foecundas ad deficientia messes, 185
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, et nimium furique, lupoque:
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Quum memor ante actos semper dolor admovet annos.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis; 190
Non te deficient nostrae memorare Camoenae.
Nec tibi Pierii solum tribuentur honores:
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis:
Pro te vel solus densis subsistere turmis, 195
Vel parvum Aetnaeae corpus committere flammae.
Sum quodcumque, tuum est: nostri sit parvula cura,
Sit tibi quanta libet, si sit modo: non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,

V. 178. *Praescribat*, monstret, doceatque praecinendo.

V. 179. *Est tibi*, habes inter clientes et amicos Valgium, qui par sit heroico carmini scribendo. T. Valgius Rufus, aevo Augusti Poeta celeberrimus. Heroica scripserat, Lusus pastorales, Elegos, Epigrammata: sed omnia interciderunt.

V. 180. *Propior*, nemo alius propius ad immortalis Homeri maiestatem accedit.

V. 181. *Labor peragit*. Mira locutio, pro a laboribus desistimus, et otio nos damus.

V. 182. *Fatiget*, vexet, male habeat.

V. 184. *Ditantes ordine*. Seges in sulcis flavescens ordine locupletat horrea. Tempore enim suo segetes quaeque maturescunt, non cunctae simul. Igitur messis alia aliam ordine subsequitur; et in horreis certo quodam ordine condîtur.

V. 185. *Deficientia*, angusta ad continendas tam copiosas messes.

V. 186. *Pascebant*, gramen et frondes in collibus pecus carpebat.

V. 187. *Satis*, sufficiebat domino.

V. 188. *Desiderium*. Amissas enim res desideramus; at saepius frustra.

» *Novatur*, recrudescit, et renovatur.

V. 189. *Admovet*, ante oculos ponit, atque ita in memoriam revocat.

» *Memor dolor*, acerba recordatio iniuriarum militarium, et rapinarum triumviralium.

V. 190. *Cadant*, graviora eveniant.

» *Relictis*, exuar, carere cogar iis, quae mihi reliqua sunt, quae mihi supersunt non ademta in agrorum divisione iussu triumvirum facta.

V. 195. *Subsistere*, me obiicere, obviam ire.

» *Turmis*. Turmae sunt equitum, cohortes peditum.

V. 196. *Parvum*, gracile, tenue corpus tradere ardentibus flammis montis Aetnae in Sicilia.

V. 197. *Tuum est*, subaudi *munus*.

V. 199. *Lydia*. In Lydia minoris Asiae provincia, regnavit Croesus

Posse Meleteas nec mallem vincere chartas. 200
Quod tibi si versus noster totusve minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore,
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea quum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem, 205
Longa manet seu vita; tamen, mutata figura
Seu me finget equum gyro percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus:
Sive ego per liquidum volucri vehar aera penna:
Quandocumque hominem me longa refecerit aetas. 210
Incoeptis de te subtexam carmina chartis.

Regum locupletissimus. In eadem fluvius est aurifer Pactolus.

V. 199. *Potior*, non sit magis optanda, et praestantior mihi videatur.

» *Gylippi*. Petierant auxilium a Lacedaemoniis adversus Athenienses Syracusani. Ab illis mittitur Gylippus solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat. Is centum et triginta navesAtheniensium capit et incendit, et Syracusanos ab obsidione liberavit, captis Atheniensium ducibus Demosthene et Nicia.

V. 200. *Meleteas*, Homericas, a Melete fluvio Zmyrnam alluente, ad cuius ripas natum Homerum aiunt.

V. 201. *Quod tibi si*. Quod si tibi meum carmen vel totum, vel ex parte sit valde tibi familiare, eoque plurimum sis usus, vel erret in primoribus labris errore memoriae, propterea quod leviter tantum ac perfunctorie legeris.

V. 203. *Nulla fata*, quaecumque mihi fata immineant, non imponent finem.

V. 205. *Matura dies*, praeceps, festinata, immatura hora accelerat.

V. 206. *Mutata figura*. Celeberrimam, sed ineptam Pythagorae doctrinam de migratione animarum post mortem in alia corpora, attingit.

V. 207. *Finget equum*. Sive mihi equi formam tribuet vita altera, et longa aetas.

V. 207. - 208. *Percurrere campos doctum*. Campos hic videtur Tibullus posuisse pro hyppodromo, vel circo, ubi equi exerceri solebant. Iam inter studia equestris disciplinae vel primo loco discebant equum in gyros compellere. - Alii legunt: *rigidos percurrere campos*.

V. 208. *Sim taurus*, fiam taurus tardi armenti decus.

V. 210. *Quandocumque*, quum tandem post varias figuras brutorum animalium assumtas, in humanam formam rediero, incepta de factis et laudibus tuis carmina absolvam.

CARMEN II.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis;
Spectatum e caelo, si sapis, ipse veni.

Arg. Carm. II. *De Sulpicia, Kalendas Martias, qui mos Matronarum erat, celebrante.*

V. 1. *Sulpicia*. Fortasse patricia haec mulier filia fuerit Servii Sulpicii Iurisconsulti, cuius ad Ciceronem exstant epistolae. Elegiam hanc, et quae sequuntur, Tibulli non esse suspicantur nonnulli: sed videsis eruditissimum virum Io. Antonium Vulpium, qui ad Tibullum pertinere multis argumentis egregie demonstrat.

V. 1. *Tibi culta*, se comsit, ut comta et ornata Martias Kalendas tibi sacras celebraret: quo die matronis ac virginibus domi sedentibus munera mittebantur.

Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
Componit furtim, subsequiturque decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis:
Seu comsit, comtis est veneranda comis.
Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo,
Mille habet ornatus, mille decenter habet
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros, 10
Possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
Cultor odoratae dives Arabs segetis,
Et quascumque niger rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus equis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis, 15
Et testudinea Phoebe superbe lyra.
Hoc solemne sacrum multos celebretur in annos.
Dignior est vestro nulla puella choro.

V. 4. *Componit*, exornat, concinnat, et comitatur venustas.
» *Furtim*, ital. *senza che altri se n'accorga*.
V. 7. *Felix*, cui omnia quae agenda suscipit ex sententia succedunt, ille felix appellatur. Talis erat Vertumnus, qui omnes sese in facies belle et commode vertere poterat.
V. 8. *Ornatus*, cultus, et paratus varios, qui varias eius figuras deceant.
V. 9.-10. *Caris succis*, pretiosis, et nonnisi magno parabilibus.
V. 10. *Bis madefacta*, ostro bis imbuta, et penitus saturata.
V. 11. *Bene olentibus*, ob aromata scil. large illic provenientia.
V. 12. *Dives*, ob auri fodinas.
V. 13. *Conchas*, gemmas.
V. 14. *Eois equis*, Solis orientis equis, Soli nascenti, orientali Oceano.
V. 15. *Cantate*, celebrate, laudate.
V. 18. *Dignior*. In Sulpicia laudanda optime operam vestram collocabitis, o Musae. Qui Sulpiciam poetriam volunt, ita hunc versum explicare possent: Omnium puellarum dignissima est Sulpicia, quae Musis annumeretur.

CARMEN III.

Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi,
Seu colis umbrosi devia montis, aper.
Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes:
Incolumem custos hunc mihi servet Amor.

Arg. Carm. III. *Sulpicia queritur, Cerinthum, studio venationis longe abesse.*

V. 1. *Bona pascua*. Vnde et apri boni; frugum enim, et praecipue farris esu pinguescunt. Iligna etiam glande pastos laudabant Antiqui.
V. 2. *Devia montis*, umbrosos et invios montes.
V. 3. *Ne tibi sit*, subaudi *potestas*, *facultas*, *animus* acuendi dentes ad pugnam.

Sed procul abducit venandi Delia cura. 5
O pereant silvae, deficiantque canes!
Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
Claudentem, teneras laedere velle manus!
Quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum?
Candidaque hamatis crura notare rubis? 10
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram.
Ipsa ego velocis quaeram vestigia cervae,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
At tu venandi studium concede parenti, 15
Et celer in patrios ipse recurre lares.

V. 5. *Venandi cura*, studio, amore venandi.
» *Delia*, Diana, venatinnis dea.
V. 8. *Laedere*, duris retibus tractandis, et silvae circumponendis manuum teneritudinem laedere. *Indago* apud Poetas est retium cassiumque series, qua toti saltus circumdantur.
V. 10. *Hamatis rubis*, aduncis spinis.
V. 10. *Notare*, cruentare.
V. 12. *Torta*, quae scil. fiun. ex lino intorto, seu cannabe.
V. 14. *Vincla*, copulam, qua canes venatici iungi ac retineri solent.
V. 15. *Concede*, relinque.
» *Parenti*. Venatoris ergo filius Cerinthus, et fortasse servilis, aut libertinae conditionis.

CARMEN IV.

Huc ades, et teneri morbos expelle puelli,
Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma.
Crede mihi, propera, nec te iam, Phoebe, pigebit
Innocuo medicas adplicuisse manus.
Effice, ne macies tabentes occupet artus, 5
Neu notet informis pallida membra color;
Et quodcumque mali est, et quidquid triste timemus
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.

Arg. Carm. IV. *Ad Phoebum, ut sodalem aegrotantem saluti restituat.*

V. 2. *Intonsa*. Formosi adolescentes nutriebant comam, quae sacra erat Apollini numquam senescenti, vel Aesculapio eius filio; et ob id decus feroces erant; et magnos sibi spiritus sumebant. Ex ephebis porro excedentes tondebantur, et cum coma puerilem superbiam deponebant. Hor. Ode 1. lib. 4.
V. 4. *Medicas manus*. Phoebus enim artis medicae magister habebatur.
V. 5. *Macies*, hanc *marasmum*, vel *atrophiam* vocant medici.
» *Tabentes*, essuccos, exangues.
V. 5. *Occupet*, invadat.
V. 6. *Notet*, deformet, inficiat.
V. 7. *Mali*, morbi.
V. 8. *In pelagus*. Expiationes et purgamenta omnia ad flumen, vel ad mare deferebant.

Digitized by Google

Sancte, veni, tecumque feras, quicumque sopores,
  Quicumque et cantus corpora fessa levant : 10
Neu comitem torque, metuit qui fata puelli,
  Votaque pro misero vix numeranda facit.
Interdum vovet: interdum, quod langueat ille,
  Dicit in aeternos aspera verba deos.
Phoebe, fave: laus magna tibi tribuetur, in uno 15
  Corpore servato restituisse duos.
Iam celeber, iam laetus eris, quum debita reddet
  Certatim sanctis lotus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba deorum,
  Optabunt artes et sibi quisque tuas. 20

V. 9. *Sopores*, pharmaca, quae omnium concilient.
V. 10. *Cantus*, magici susurri carmine compositi.
» *Fessa*, morbo languentia sublevant.
V. 12. *Facit*, nuncupat, suscipit.
» 15. *Fave*, adsis.
V. 17. *Celeber*, frequentes enim tua templa celebrabunt.
V. 17. *Debita reddet*, persolvet vota.
V. 18. *Certatim*, certabunt enim inter se, uter ipsorum religione antecellat.
» *Lotus*, sacra enim facturi, prius pure lavabant.
V. 19. *Pia*, benigna et misericors.

FRAGMENTA (*)

FRAGMENTVM I.

Hic placet, angustis quod equum compescit habenis;
  Hic placidam niveo pectore pellit aquam:
Huic quia fortis adest audacia, cepit, at illi
  Virginens teneras stat pudor ante genas.
Sed te ne capiant caveas; pertransiet aetas 5
  Quam cito! non segnis stat, remeatque dies.
Quam cito purpureos deperdit terra colores!
  Quam cito formosas populus alba comas!
Quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
  Qui prior Eleo est carcere missus equus! 10
Vidi ego iam iuvenem, premeret quum serior aetas
  Moerentem stultos praeteriisse dies.
Pieridas pueri, doctos, et amate poetas,
  Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint 15
  Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musae, vivet dum robora tellus,
  Dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.

Arg. Fragm. I. *Humanis minime fidendum.*

V. 1. *Hic placet.* Coniungit equitationem et natationem, quod Romani pueri equitarent in campo Martio, dein in Tiberi natarent.

V. 5. *Sed te ne capient.* Humana etenim sunt, ideoque caduca.

» *Pertransiet* et *pertransibit*, videntur promiscue usurpasse Veteres.

V. 6. *Remeatque dies.* Tempus neque segniter moratur, neque cum semel transierit, unquam remeabit.

V. 9. *Quam iacet.* Infirmus videlicet amissis viribus: vel potius quam vilis et abiectus est, ac contemnitur: contemni enim et iacere unum idemque sonant.

V. 11. *Iam iuvenem.* Qui olim iuvenis fuerat.

V. 13. *Doctos poetas.* Non casu, inquit, doctos; nam plures quidem indocti nomen poetae usurpant: prout Hor. ep. 1. l. 2.: *Scribimus indocti, doctique poemata passim.*

V. 15. *Carmine purpurea.* Nota fabula de crine purpureo Nisi, quo servato, regno spoliari non poterat. - Ait vero Nisi comam debere carminibus, quod purpurea sit credita: sicuti Pelopis humerus, quod eburneus feratur. Vide Ovid. Met. VI. et VIII.

V. 18. *Vehet* pro *feret*: ex queis concludit carminibus comparari immortalitatem.

(*) Ad calcem reiicimus quae vel iniuria temporum ex parte interierant, vel ex integro adeunda non erant.

Digitized by Google

FRAGMENTVM II.

Longa dies homini docuit parere leones;
  Longa dies molli saxa peredit aqua;
Annus in apricis maturat collibus uvas,
  Annus agit certa lucida signa vice.

Arg. Fragm. II. *Nihil non a tempore sperandum.*

V. 1. *Longa dies.* Longum tempus, diuturnum. - Sic *diem* pro tempore usurpavit Tullius 1. in Ver.: *Qui ... biduo breviorem diem postularet.*

FRAGMENTVM III.

Saga nocet nobis nostros quae saeva dolores
  Auget, in exitium callida Saga meum.
Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi,
  Fulminis haec rapidi carmine sistit iter.
Haec cantu, finditque solum, Manesque sepulchris 5
  Elicit, et tepido devocat ossa rogo.
Iam tenet infernas magico stridore catervas,
  Iam iubet aspersas lacte referre pedem.
Quum libet, haec tristi depellit nubila caelo;
  Quum libet, aestivo convocat orbe nives. 10
Sola tenere malas Medeae dicitur herbas,
  Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Haec miserum necat, haec me iam sibi dira precari
  Cogit, et insana mente nefanda loqui.

Arg. Fragm. III. *Sagam molestiorem diris insectatur.*

V. 3. *Hanc* magica praestigia commemorat, queis vel Antiquos ipsos minime habuisse fidem credendum est.

» *De caelo sidera.* Ductum fortasse a meteoro stellarum caducarum, ut vocant.

V. 5. *Manes*, umbrae mortuorum, quae credebantur a sepulchro et cineribus minime discedere.

V. 7. *Magico stridore.* Solemne vocabulum de murmure Sagae magico.

V. 8. *Aspersas lacte.* Is fortasse fuit ritus magicus, vel simpliciter lacte in aram effuso sacris finem faciebant.

V. 10. *Aestivo ardere.* Aestatis tempore. Hic orbem pro caelo usurpavit, ita ut orbis aestivus sit caelum, quale aestate adparere solet. Ita Ovidius. *Quum voluit puro fulget in orbe dies.*

V. 11. *Tenere.* Novisse vim et efficacitatem noxiarum herbarum, queis olim Medea sagarum famosissima utebatur.

V. 12. *Hecates canes*, scilicet infernas, quae apud Virg. lib. VI. Aen. v. 257. Hecatem, seu Proserpinam ululantes comitantur.

V. 13. *Haec miserum*, offensas commemorans, gravius in sagam invehitur.

Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento 15
Tristia cum multo pocula felle bibat;
Hanc volitent animae circum sua fata querentes
Semper, et e tectis strix violenta canat;
Ipsa, fame stimulante, furens, herbasque sepulchris
Quaerat, et a saevis ossa relicta lupis. 20
Evenient: dat signa deus, sunt numina vati,
Delius incassum nec fera tela gerit.

V. 16. *Tristia pocula*, hic *amara*.

V. 17. *Volitent animae*. Simulacra exanguia mortuorum, quos Saga laeserat.

V. 18. *Strix violenta*, avis fabulosa, importuna, et mali ominis. Striga significare quoque mulierem veneficam asserunt, unde fortasse italicum *strega*.

V. 19. *Herbasque sepulchri*, nimia fame pene ad sacrilegium adigatur.

V. 21. *Evenient*, vota mea equetur eventus, est Phoebus, qui curam vatum gerit, et iniuriam illatam ulciscetur.

FRAGMENTVM IV. (*)

Num Iovis audaci violavi numina verbo,
Et mea nunc poenas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse deorum,
Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis, 5
Et dare sacratis oscula liminibus;
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.

V. 1. *Violavi verbo*. Violare verbo deos, gravissimum est, utpote quibus facto et re ipsa noceri non potest, homines leve. Cic. Philip. 2. *Tu ne verbo quidem violatus*.

V. 3. *Num feror*. Sacrilegium etiamsi clam commissum, delictum maximum, quid si vulgetur?

» *Incestus*, scelestus vel profanus.

» *Sedes deorum*, vel templa ipsa, vel sacraria, in queis simulacra deorum reponebantur.

V. 4. *Sertaque*. Sacrilegium erat rapere vel floreas corollas, quibus arae, foci, et lares ornabantur.

V. 5. *Procumbere templis* pro *ad templa*: porro locus hic totus accommodatus ad ritus apprime expiatorios Antiquorum dignoscendos.

(*) Hoc esse fragmentum novae Elegiae statuit cl. Wund. In iis quae periere, magnam calamitatem, quae sibi acciderat, exposuisse videtur; at quaenam haec fuerat, nobis non constat: tum se graviorum scelerum expertem, ea premi minime debere affirmat; nec tamen sibi ubi se aliquid promeruisse deprehenderit, numen expiatoriis caeremoniis placandum esse dubitat: demum in irrisorem malorum suorum invehitur, ni caveat Iovem iratum minitatur.

At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
Mox tibi; non uni saeviet usque deus. 10

V. 9. *At tu, qui rides mala nostra*, caveas; non semper enim mihi uni, sed et tibi saeviet deus. - Alii legunt *non unus*, scilicet plures habebis deos iratos.

FRAGMENTVM V.

Ille ego, quum tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis:
Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine cum magico praecinuisset anus:
Ipse procuravi, ne possent saeva nocere 5
Somnia, ter sancta deveneranda mola:
Ipse ego, velatus filo, tunicisque solutis,
Vota novem Triviae nocte silente dedi:
Omnia persolvi: gaudes his, Delia, sospes,
Et precibus felix uteris ipsa meis. 10

Arg. Fragm. V. *Ad Deliam, quam votis suis se morti eripuisse dicit.*

V. 2. *Dicor*, pervulgatum est.

V. 3. *Ter circum*. Sulfure in lustrationibus utebantur, et ternario numero, qui mysticus et solemnis fuit. Prop.: *Terque meum tetigit sulfuris igne caput.*

V. 4. *Carmine anus*. Macrobius lib. 2.: *Corporum quoque morbis medetur cantus*. Huiusmodi anus vocabantur *praecantatrices*.

V. 5. *Procuravi*, expiavi caesis victimis.

V. 6. *Sancta mola*, far pium. Vestales farre selecto, et adiecto sale cocto et sale duro, molam faciebant. Hanc molam inter cornua victimae ponebant sacrificaturi, unde *immolare*. *Mola* porro dicta, quia ex *mollito* farre constaret.

» *Deveneranda*, precibus amoliri, avveruncare.

V. 7. *Velatus filo*. T. Liv. lib. 1. *Filum lanae velamen est.*

» *Tunicisque solutis*. In sacris omnia soluta, fortasse ut intelligeretur obiato sacrificio voti religionem solvi.

V. 8. *Vota novem*. Terna scilicet singulis capitibus; nam Diana triformis fingebatur; Luna in caelo, Diana in silvis, Proserpina seu Hecate apud inferos. *Vota dare*, est persolvere.

FRAGMENTVM VI.

Sic fieri iubet ipse deus; sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.

Arg. Fragm. VI. *Mirum in modum sacerdotis Bellonariae vaticinium describit.*

V. 1. *Ipse deus*, puta Bellona. Sic *deus* feminino genere usurpatur a Virg. Aen. II. v. 632., et saepius apud Homerum.

V. 2. *Divino*, hic pro divinante. Sic vates divini, idest fatidici vocantur. Hor. I. sat. 6.

Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet;
Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos, 5
Sanguineque effusa spargit inulta deam,
Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos dea magna monet:
Parcite, quem dea custodit, violare poetam,
Ne pigeat magno post didicisse malo. 10
Attigeris; labentur opes, ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.

V. 3. *Bellona.* Locus hic de Bellona pulcherrimus, ex quo discimus, illius sacerdotem magnam fuisse feminam, quae, concepto spiritu, seu afflatu deae in se, flammis ac ferro furebat, dilanians cultris brachia, lacertosque: non absimile ritu utebantur sacerdotes Cybeles et deae Syriae, quae peregrinae superstitiones tempore bellorum civilium Romam invasere.

V. 6. *Inulta*, innexia, Voss. Vel potius intelligendum de spontaneis vulneribus, quae iure nemo ulciscebatur.

V. 7. *Latus praefixa veru.* Lanceola nimirum inter cutem et saginam adacta, quod et nostri praestigiatores faciunt.

V. 8. *Dea magna.* Magnam deam appellat forte, quia, si Lactantium lib. 1. divin. inst. cap. 21, audias, Bellonam cum Pallade unam eandemque fuisse deam suspicari licebit.

V. 9. *Parcite.* En vaticinium sacerdotis, quo gravissima minantur qui vatem violaverit; ducta similitudine a sanguine ex sectis membris, et a cinere arae, cui adstans illa inter sacra, deo capta, furere putanda est.

V. 11. *Attigeris*, deest *si* eleganter: sic Iuv. sat. 3. *Graeculus esuriens, in coelum, iusseris, ibit.*

FRAGMENTVM VII.

Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris;
Cantus et iratae detinet anguis iter,
Cantus et e curru Lunam deducere tentat, 5
Et faceret, si non aera repulsa sonent.

Arg. Fragm. VII. *Curis absumptum amicum dolet.*

V. 1. *Pollentibus herbis*, efficacibus et vim magnam habentibus.

V. 2. *Anus* venefica, saga, pharmaceutria.

V. 3. *Cantus*, nempe susurrus veneficae, ital. *l'incanto, l'incantesimo.*

» *Fruges traducit.* Vetitum erat lege XII. tabularum pellicere sive excantare fruges.

V. 4. *Anguis iratae.* Anguem ferasse, quae pullis necatis in furorem versa rusticum insectatur exprimit.

V. 5. *E curru Lunam.* Inter aniles superstitiones vulgi haec quoque fuerat, Lunam quoties deficeret, sagarum incantationibus affici. Propterea cymbalorum, et pelvium sonitu planctae laboranti auxilium se ferre posse existimabant. - Mos hic ridiculus nostris quoque temporibus apud Sinenses (teste P. Danielo Bartoli in Hist. S. I.) mirum in modum viget.

Quid queror, heu! misero carmen nocuisse? Quid herbas?
Cura nihil magicis utitur auxiliis.

FRAGMENTVM VIII.

O ego ne possem tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis,
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris!
Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est; 5
Omnia iam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi, nec carminis auctor, Apollo;
En me iam fletu lumina fessa tument.
Ite procul, Musae, si nil prodestis alumno;
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo, 10
Nec refero Solisque vias, et qualis, ubi orbem
Complevit, versis Luna recurrat equis;
Aeger, opem ardori nostro per carmina quaero;
Ite procul, Musae, si nihil ista valent.

Arg. Fragm. VIII. *Gravi dolore affectus, quum frustra musarum opem flagitaret, illis valedicit.*

V. 1. *O ego.* O versus pulchros; o candorem plane invidendum! Nil aptius ad magnitudinem ac acerbitatem doloris designandam.

V. 4. *Naufraga unda*, quae caussa est naufragii: sic Hor. Od. lib. 1.: *Nec mare naufragum.* - alii legunt *ira maris* minus apte.

V. 6. *Tempora felle madent*, sunt amara: *madere* ex re infecteria de eis quae imbuta, illita sunt.

V. 11. *Nec refero* . . . Nec condo poema de rebus coelestibus.

» *Via Solis* est linea ecliptica ducta per medium Zodiacum.

V. 12. *Versis Luna recurrat.* A plenilunio statim Lunae discus nobis minui videtur. Tum poetae dicunt, Lunam equos flectere et a nobis discedere.

INDEX

EORVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR

De Vita Tibvlli ex Io. Ant. Vvlpio . . . pag. 3

LIBER I.

Elegia I. Divitias alius fulvo sibi congerat auro . » 5
» II. Ferreus ille fuit, qui etc. . . . » 9
» III. Ibitis Aegeas sine me, Messala, etc. . » ib.
» IV. Rura colam, frugumque etc. . . . » 14
» V. Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes » 15
» VI. Quis mihi, si fueras etc. . . . » 19
» VII. Quis fuit, horrendos primus etc. . . » 20

LIBER II.

Elegia I. Quisquis ades, faveas etc. . . . » 24
II. Dicamus bona verba etc. . . . » 28
» III. Rura meos, Cerinthe etc. . . . » 30
» IV. Phoebe fave; novus ingreditur etc. . » 32
» V. Iam mala finissem leto etc. . . . » 39

LIBER III.

Elegia I. Martis Romani festae venere Kalendae . » 40
» II. Ferreus ille fuit, qui tantum ferre etc. . » 41
» III. Quid prodest caelum votis implesse etc. » 43
» IV. Di meliora ferant etc. . . . . » 45
» V. Vos tenet, Etruscis manat etc. . . » 49
» VI. Candide Liber, ades etc. . . . » 51

LIBER IV.

Carmen	I.	Te, Messala, canam, etc. . . .	pag. 55
»	II.	Sulpicia est tibi culta tuis etc. . .	» 67
»	III.	Parce meo iuveni etc.	» 68
»	IV.	Huc ades, et teneri etc. . . .	» 69

FRAGMENTA

» agm.	I.	Hic placet, angustis quod etc. . .	» 71
»	II.	Longa dies homini docuit parere leones	» 72
»	III.	Saga nocet nobis	» ib.
»	IV.	Num Iovis audaci violavi etc. . .	» 73
»	V.	Ille ego quum tristi morbo etc. . .	» 74
»	VI.	Sic fieri iubet ipse deus etc. . . .	» ib.
»	VII.	Num te carminibus etc. . . .	» 75
»	VIII.	O ego ne possem tales sentire dolores .	» 76

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SEXTI AVRELII

PROPERTII

VMBRI

CARMINA CASTIGATA

AVGVSTAE TAVRINORVM
EXCVDEBAT HYACINTHVS MARIETTI
AN. M. D. CCC. LXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA PROPERTII

EX IO. ANT. VVLPIO

Sex. Aurelium Propertium in ea Vmbriae regione natum fuisse quae fines Etruriae proxime contingit, certo scimus: cuinam tamen Vmbriae oppidorum quae adhuc supersunt egregius hic civis adiudicari debeat, omnino incertum est. Rem dubiam faciunt celebres doctorum virorum controversiae atque opiniones. Plerique Mevenatem, ex Mevania scilicet Vmbriae oppido, fuisse contendunt; et his manu scripti codices favent: Ameriam alii, nonnulli Assisium, Hispellum aliqui, vel Fulginium, vel Falcum, vel Spoletium, vel Perusiam, eius patriam faciunt. Sed haec detegi tum demum poterit, quum primum inscriptio vetus aliqua exstiterit, quae nos doceat, ex quo Vmbriae municipio fuerit Passiena familia. Sane pervulgata sunt quae scribit Plinius Caecilius, Epist. 15. lib. VI.: *Passienus Paullus splendidus eques Romanus, et in primis eruditus, scribit Elegos, gentilitium hoc illi: est enim municeps* Propertii, *atque etiam inter maiores suos* Propertium *numerat:* Fortasse mater Passieni Paulli ex *Aurelia* municipali familia ori-

ginem duxerat. Aurelia gens Romae Plebeia quidem fuit, si primum illum delectim spectemus. quo Romulus, et alii Romani reges, a reliquo populo patricias distingui voluerunt: sed nihilominus curulibus magistratibus postea gestis valde nobilitata. Dividitur ab Historiae peritis in familias tres; Cottarum, Orestum, Scaurorum. Sed nihil Propertio nostro, equiti municipali, cum senatoriis hisce familiis: quamobrem neque honores adeptus est, atque ab iis petendis abstinuit.

De tempore natalium huius Poetae, apud Chronicorum scriptores nulla mentio. Facilis tamen coniectura, fuisse annum conditae Vrbis D. C. XC. VI., Calpurnio Pisone, A. Gabinio Coss., quo anno M. Tullio Ciceroni igni et aqua interdictum est. Id colligimus ex verbis ipsius Propertii, qui Eleg. 1. Libri IV. ait, se, quum adhuc puer esset, orbatum patre, spoliatumque paternis opibus, tristissima illa tempestate, qua post Philippense bellum praedia Itala veteranis Augusti militibus demensa et distributa sunt. Auream deinde bullam, quae pueros ingenuos a servis et libertinis discernebat, se diis penatibus suspendisse, scribit, virilemque togam sumsisse. Quae quidem vestis mutatio fieri solebat anno aetatis XVII., vel etiam XV. Sed pri-

mum potius de Propertio credendum, quod statim a Praetexta deposita ad Musarum otium se contulit adolescens, relicto fori tumultu; et ideo grandiusculum fuisse oportet, qui ad fingendos elegos ingenium et calamum admoveret. Constat autem, divisionem agrorum quae iussu Augusti facta est, in annum ab Vrbe condita DCCXIII. incidisse; a quo si anni XVII. retrorsum numerentur, inveniemus, Propertium Coss. quos diximus in lucem editum.

Poetae huius nostri pater videtur fuisse Sex. ille Propertius, cuius nomen delatum eo tempore quo P. Clodius tribunus plebis rempublicam seditionibus miscebat, civiumque locupletium bonis inhiabat, queritur Cicero in Oratione pro Domo sua.

Ope ingenii, et facultate scribendi carminis, Maecenatis patrocinium et amicitiam consecutus, est; cuius hortis in Esquilina regione positis proxime habitavit. Mirum autem cur nec Horatium Propertius, nec Propertium Horatius ullo in loco poematum suorum nominaverit. Sed enim quotidie verum experimur illud Hesiodeum; *figulus figulo*. Testatur vetus Auctor Vitae Virgilii, poetas qui Augusto imperante floruere, adeo inter se non amavisse, ut omnes aliorum laudi atque gloriae

Digitized by Google

maxime inviderent: unum Virgilium, ob naturae bonitatem prope singularem, omnibus probari et placere potuisse.

Gallo cuidam, viro nobili, nec non Tullo consularis familiae gratissimus fuit Propertius. Ovidium, Ponticum, Bassum poetas, aequales suos, familiariter dilexit. Callimachum et Philetam e Graecis ad imitandum sibi proposuit. Helladem certe omnem depopulatus transmarino sale scripta sua condivit, veterum fabularum studiosissimus. Magno spiritu et heroicis aptissimo praeditus fuit: cuius rei fidem faciunt ea quae de antiquitatibus Vrbis Romae, de Augusti victoriis, et de Cornelia matrona Paulli censoris uxore, magnifico verborum apparatu et numeris Elegiae modum excedentibus erudite cecinit. Nonnulli, ut testatur Quinctilianus, Propertium Tibullo in Elegia praeposuere. Passienus quoque Paullus, gentilis eius, carmine scribendo, si Plinium Caecilium audimus, ab ipsius vestigiis ne latum quidem unguem discessit. Fortasse ultimam senectutem exegit in studiis illis, quibus se operam daturum aetate ingravescente, olim significaverat. Haec de Propertio vel historica fide, vel probabilibus coniecturis afferri possunt.

Digitized by Google

SEX. AVR. PROPERTII

VMBRI

LIBER I.

ELEGIA I.

Quid iuvat ornato procedere, sponsa, capillo,
  Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
  Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaeque decus mercato perdere cultu, 5
  Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Adspice quot submittat humus formosa colores,
  Vt veniant hederae sponte sua melius:
Surgat et in solis formosius arbutus antris,
  Et sciat indociles currere lympha vias: 10
Litora nativos per se dent picta lapillos,
  Et volucres nulla dulcius arte canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
  Pollucem cultu non Hilaira soror.

Arg. Eleg. I. *Cynthiam a nimio formae cultu dehortatur.*

V. 2. *Tenues sinus.* Intellige sinus vestium tenuissimarum, quales erant bombycinae et pellucidae ex Insula Co. ital. *pieghe.*

V. 3. *Oronteа myrrha.* Recte monuit Scaliger, Oronteam vocari myrrham, non quod in Syria nasceretur (est enim gutta, seu resina arbusculae Arabicae), sed quod Antiochiam, eo tempore totius Orientis emporium celeberrimum, dorsis camelorum deferretur. — E Syria huc delata.

V. 6. *In propriis bonis*, nativis dotibus.

V. 10. *Indociles vias*, quas nemo docuit.

V. 11. *Litora per se picta*, litora, natura ipsa vicem pictoris fungente.

V. 13. *Non sic*, scil. mercato cultu.

Leucippis, Leucippi nimirum filia. Desponderat Leucippus Phoeben atque Hilairam filias suas forma praestantes Lynceo et Idae Apharei filiis. Castor et Pollux eas rapuere: sponsi raptas repetivere. Sed quum deorum fortitudini pares esse non possent, instituto singulari certamine, victi et occisi sunt

Non Idae, et cupido quondam discordia Phoebo 15
Eveni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis. 20
Non illis studium vulgi conquirere laudes.
Illis ampla satis forma, pudicitia.
Hac tu semper eris nostrae gratissima vitae,
Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

V. 15. *Non Idae*. Marpessa Eveni filia Apollini placuit. Eam Idas, Apharei filius, Lyncei frater, rapuit, accepto a Neptuno volucri curru. Evenus insecutus raptorem usque ad amnem Lycormam, quum assequi nequivisset, prae ira equos iugulavit, seque in flumen praecipitem dedit, qui eius postea nomine dictus Evenus. Tunc Apollo Idae occurrit, ortaque inter eos contentione, Iuppiter virgini potestatem fecit deligendi utrum mallet. Puella vero Idam Phoebo praetulit.

V. 16. *Litoribus*, ripis Eveni fluminis.

Filia, Marpessa.

V. 17. *Phrygium maritum*, Pelopem Tantali filium.

V. 18. *Hyppodamia*, Oenomai Pisae Regis filia, curru Pelopis, hominis barbari, ac Phrygis, longo avecta.

ELEGIA II.

Non ego nunc Adriae vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Aegeo ducere vela salo;
Cum quo Riphaeos possim conscendere montes,
Vlteriusque domos vadere Memnonias.
Sed me complexae remorantur verba parentis, 5
Quae timet ignotae mille pericla viae.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,

Arg. Eleg. II. *Excusat se Tullo patrono suo in Asiam proficiscenti, quod cum eo maritimum iter aggredi nequeat.*

V. 1. *Adriae*. Adria, sinus est ingens Illyrium inter atque Italiam, hodie *Golfo di Venezia*.

V. 2. *Tulle*. Hic Tullus uti coniectatur Cyzicenus praefuit, et Asiam pro consule obtinuit; immo etiam et collega in secundo Augusti consulatu fuit, si modo de hoc nostro Dio lib. XLIX. loquitur.

Aegaeo salo. Aegaeum mare ab *Aega* insula, vel ab *Aegis* Eubocae insulae oppido dictum est. Situm est Graeciam inter et Asiam.

V. 3. *Riphaeos montes*. Sunt Scythiae montes septentrionales, Asiam ab Europa disterminantes; hodie *Monti d'Vral*.

V. 4. *Domos Memnonias*. Memnon Tithoni et Aurorae filius, fuit rex Aethiopum. Hoc loco domus pro regione quacumque Orientis remotissima usurpatur.

Atque Asiae veteres cernere divitias,
Vt mihi deducta genitrix convicia puppi
Ingerat? ah peream si pius esse neger! 10
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis iura refer sociis.
Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
Vt pius a longa posteritate ferar.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis, 15
Nec me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
Lydia Pactoli tinguit arata liquor,
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, et accepti pars eris imperii: 20
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

V. 9. *Deducta puppi*, h. e. machinis e solo in salum tracta.

V. 11. *Tu patrui meritas, etc.* Tu patrui tui, viri consularis, et de republica optime meriti, virtutes et benefacta da operam ut superes. L. Volcatius Tullus Consul fuit cum M. Lepido biennio ante Ciceronis consulatum, ut scribit Sallust. in Catil. Nemo autem nescit, Consulibus in publicum prodeuntibus, secures fascibus virgarum alligatas a lictoribus praeferri consuevisse.

V. 12. *Et vetera iura.* Graeciae et Asiae populorum iura, in bellis civilibus violata et neglecta, refer sociis iuris et institiae oblitis.

V. 13. *Iacere*, minime belli laudibus clarescere.

V. 17. *Mollis Ionia*, ita dicta ob aeris clementiam, terrae fertilitatem incolarumque luxuriam: fuit porro Graecorum colonia in Asiam deducta.

V. 17. *Qua tendit*, subandi *se*, qua se extendit.

V. 18. *Lydia arata*, h. e. *sola* terrae *arata*. *Lydia* porro, sive Maeonia, Asiae cis Taurum regio fuit mediterranea.

V. 18. *Pactoli.* Pactolus Lydiae flumen aureas arenas trahens.

» *Tinguit* pro *tingit*. *Tinguit* autem Pactolus *arata*, h. e. aureis arenis, quas defert, flava efficit.

V. 19.-20. *Ibis carpere.* Hellenismus, pro *ibis carptum*.

V. 20. *Accepti imperii*, vel grati accepti sociis, vel quod ab Augusto accepisti.

V. 22. *Duro sidere.* Sidus pro fato per Metonymiam. Vivunt autem duro sidere amici, qui diversis dissiti regionibus vivere coguntur.

ELEGIA III.

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria?

Arg. Eleg. III. *Expostulat primum cum amico in Illyriam profecturo, deinde bene ei precatur.*

V. 2. *Illyria gelida.* Regio mari adriatico adiacens, Italiae opposita Liburniam et Dalmatiam complexa, frigore ac nivibus infesta.

Vt me defixum vacua patiaris arena,
  Et sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti? 5
  Fortis et in dura nave iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
  Tu potes insolitas, Pontice, ferre nives?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
  Et sit iners tardis navita Vergiliis; 10
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis in ora,
  Neve inimica meas elevet aura preces;
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
  Quum tibi provectas auferet unda rates.
Sed quocumque modo de me, periure, mereris, 15
  Sit Galatea tuae non aliena viae,
Vt te felici post victa Ceraunia remo
  Accipiat placidis Oricos aequoribus.

V. 7. *Positas pruinas.* Eleganter *poni* dicuntur ea quae coelo delabuntur, uti nix, ros, pruina.

» *Fulcire* pro *calcare.*

V. 10. *Vergiliis.* Vergiliae, seu Pleiades, sunt septem stellae in fronte tauri, sic dictae a vere, quod sicuti exortu suo ver et tempus aptum ad navigandum, ita occasu hiemem denuntiant. Vocantur tardae, quia duplicato hiemis tempore, tardius necessario exorirentur, atque nautas inertes longius detinerent.

V. 12. *Elevet.* Leviores reddat et minus efficaces.

V. 15. *Subsidere ventos*, h. e. interquiescere tales ventos qui nunc mare possident, teque properantem remorantur.

V. 16. *Galatea.* Nympha marina, Nerei ac Doridos filia: hic potissimum invocatur, quia est mater Illyrii qui nomen dedit Illyriae, quo amicus tendebat.

V. 17. *Post victa Ceraunia.* Sic Heinsius Vulpio probante legit. *Ceraunia* porro sunt montes Epiri, sic dicti, quod crebro fulminibus tangi solent. Hic Propertius designat Ceraunium promontorium, in Epiro non procul Albaniae finibus situm, ital. *Capo della Chimera.*

V. 18. *Oricos.* Urbs Epiri, cum portu nobili, ad mare Ionium, prope Ceraunios montes, quo amicus Roma in Illyriam profecturus appellere debebat.

ELEGIA IV.

Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
  Lesbia Mentoreo vina bibas opere;

Arg. Eleg. IV. *Poesim divitiis omnibus praestare.*

V. 1. *Abiectus.* Iacens.

V. 2. *Lesbia vina.* Vel reapse e Lesbo insula Aegaei allata, vel quaevis pretiosissima ast innocua: credebant etenim Veteres, Bacchum Lesbio vino *atelian*, h. e. immunitatem et innocentiam impertiisse.

V. 2. *Mentoreo opere*, subintelligitur *ex*, vel *in*. Mentor eximius caelator, et sculptor, maxime scyphorum, fuit

Et modo tam celeres mireris currere lintres,
  Et modo tam tardas funibus ire rates;
Et nemus omne satas intendat vertice silvas, 5
  Vrgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meae valeant contendere Musae,
  Illa negat magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
  Seu ducit totum versibus illa diem, 10
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
  Et legitur rubris gemma sub aequoribus.
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges,
  Quae maneant, dum me fata perire volent.
Illa mihi placata adsit, non ulla verebor 15
  Regna, nec Alcinoi munera despicere.

V. 4. *Funibus ire rates.* Adverso amne, naves funibus trahi debere nemo non novit.

V. 5. *Et nemus omne.* Sensus est: et licet omne nemus in villa tua tam alte extollat arbores satas, quantae sunt sponte enatae in Caucasi verticibus, non tamen, etc.

V. 5. *Silvas.* Hoc loco singulas arbores significat.

V. 11. *Tunc mihi Pactoli.* Pactolus flumen aureas arenas deferens illabitur in aedes meas. Continuo divesfio...

V. 12. *Et legitur rubris.* Et videor margaritas et unionies e mari Erythraeo (sic dicto a rege Erythra) eruere.

V. 13. *Gaudia.* Carmina.

V. 15. *Illa.* Musa scilicet.

V. 16. *Alcinoi munera.* Opes Alcinoi Phaeacum regis ditissimi.

ELEGIA V.

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
  Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice me quanto rapiat Fortuna periclo;
  Tu tamen in nostro lenta timore venis.
Et potes hesternos manibus componere crines, 5
  Et longa faciem quaerere desidia.
Nec minus Eois pectus radiare lapillis,
  Vt formosa novo quae parat ire viro.

Arg. Eleg. V. *Cynthiae perfidiam criminatur.*

V. 3. *Hesternos*, quos hesterno die comseras.

» *Componere*. Probro dabatur nuptis mulieribus viro absente ac periclitante capillum comere.

V. 6. *Faciem quaerere*, formam tibi conciliare.

V. 7. *Radiare.* Antiquae elegantiae verbum, exornare.

At non sic Ithaci digressu mota Calypso
  Desertis olim fleverat aequoribus. 10
Multos illa dies incomtis moesta capillis
  Sederat, iniusto multa locuta salo.
Alphesiboea suos ulta est pro coniuge fratres,
  Sanguinis et cari vincula rupit amor.
Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis 15
  Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Coniugis Evadne seros elata per ignes
  Occidit Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
  Tu quoque uti fieres nobilis historia. 20
Desine iam revocare tuis periuria verbis,
  Cynthia, et oblitos parce monere deos.
Audax ah nimium, nostro dolitura periclo
  Si quid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labantur flumina ponto, 25
  Annus et inversas duxerit ante vices:
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura
  Sis quodcumque voles, non aliena tamen.

V. 9. *Ithaci*, Vlixis Ithaceusis discessu perturbata, Calypso Atlantis filia Vlixen detinebat in Insula Ogygia.

V. 13. *Vlta est*, exegit a fratribus poenas ob coniugis caedem. Alcmaeon ultus Amphiarai patris mortem, Eriphylen matrem interfecit: unde furiis agitatus, ad Phegeum in Psophidem venit; a quo expiatus eius filiam Alphesiboeam uxorem duxit; cui et monile (*matri detractum*) illud fatale dedit. Sed postea, relicta Alphesiboea, duxit Callirrhoen Acheloi filiam. Ei ut morem gereret, monile ab Alphesiboea recepit; sed a fratribus Alphesiboeae obtruncatus est. - Illius mortem occisis fratribus hic ulta dicitur Alphesiboea, quum tamen alii a filiis Callirrhoes id factum scribant.

V. 15. *Aesonidem*, Iasonem Aesonis filium.

V. 16. *Hypsipyle*, Thoantis filia, quum Lemniae mulieres iugularent viros, sola patrem interficere non sustinuit: et quum regina esset Lemni, hospitio coniugioque Iasonem accepit, ex quo duos liberos sustulit. Post discessum Argonautarum, Lemno pulsa servivit Lyco, sive Lycurgo Thebarum regi.

V. 17. *Evadne*. Haec uxor Capanei et filia Martis, ex Thebe Asopi filia, se in ardentem mariti rogum contecit. Capaneum Iuppiter fulmine percusserat, dum homo audax muros Thebarum scalis conaretur inscendere.

» *Seros*, supremos, extremos.

» *Elata*, extincta.

V. 24. *Durius*, siquid adversi tibi acciderit.

V. 25. *Muta*. Illud ante continget, ut flumina sine ullo strepitu in mare devolvantur, quod eorum naturae contrarium est.

ELEGIA VI.

Et merito, quoniam potui fugisse parentem,
  Nunc ego desertas alloquor Alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam;
  Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi flamina mater, 5
  Adspice quam saevas increpat aura minas!
Nullane placatae veniet Fortuna procellae?
  Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas,
  Sat tibi sit poenae nox, et iniqua vada. 10
An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
  Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah! pereat quicunque rates et vela paravit
  Primus, et invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit melius matri parere roganti, 15
  Quam nunc optatos quaerere Tyndaridas?
Illa meo caros donasset funere crines:
  Molliter et tenera poneret ossa rosa:
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
  Vt mihi non ullo pondere terra foret. 20
At vos aequoreae formosa Doride natae,
  Candida felici solvite vela choro.

Arg. Eleg. VI. *Adversa tempestate in mari iactatus, naufragium a se deprecatur.*

V. 2. *Desertas Alcyonas.* Aves marinas solitarias.

V. 3. *Cassiope.* Cassiope sive Cassiopea, mater fuit Andromedae, uxor Cephei regis Aethiopum; quae in sidera relata, a nautis observari solet: hic *solito*, subintelligitur *more.*

V. 6. *Adspice* pro *audi.*

V. 8. *Funus*, pro corpore.

V. 10. *Nox* pro tempestate.

V. 11. *Mea fata.* Sic paulo ante *meum funus*; idest, me fatis functum.

V. 16. *Tyndaridas.* Tyndaridae sunt Castor et Pollux, Ledae et Iovis filii gemini: hi et Dioscuri vocati sunt: nautis exoptatissimi, quia, illis adparentibus, tempestas minui creditur.

V. 17. *Funere crines.* Est hypallage pro donasset funus meum crinibus.

V. 19. *Extremo pulvere.* Quum cremato cadavere nil nisi pulvis superesset.

V. 21. *Doris*, Oceani et Tethyos filia, maris dea, Nerei uxor, Nereidum mater.

V. 22. *Candida vela.* Signum est prosperae navigationis.

» *Felici choro.* Chorus Nympharum Indentium felix nautis.

ELEGIA VII.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
  Id tibi ne vacuo defluat ex animo.
Ne tibi sit duros montes, et frigida saxa,
  Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quae miser ignotis error perpessus in oris 5
  Herculis indomito fleverat Ascanio!
Namque ferunt, olim Pagasae navalibus Argo
  Egressam longe Phasidos isse viam;
Et iam praeteritis labentem Athamantidos undis
  Mysorum scopulis adplicuisse ratem. 10
Hic manus heroum placitis ut constitit oris,
  Mollia composita litora fronde tegit.
At comes invicti iuvenis processerat ultra
  Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hic erat Arganthi Pege sub vertice montis 15
  Grata domus Nymphis humida Thyniasin.

Arg. Eleg. VII. *Gallum, sodalem suum, proposito exemplo Herculis et Hylae, admonet ut se diligenter custodiat.*

V. 3. *Ne tibi sit*, ne tibi voluntas sit.

V. 5. *Quae*, scil. infortunia.

V. 5. - 6. *Miser error Herculis.* miser Hercules errans, conquestus erat apud crudelem Ascanium. Ascanius porro est Bithyniae lacus, et flumen, ad cuius ripas raptum Hylam fuisse, scribit Hygin. Fab. 14.

V. 7. *Pagasae*, urbis Pherarum emporium in Thessalia: ita dictae quod ibi compacta fuerit navis Argo; a graeco verbo, quod *compactum esse* significat; vel propter vicinas *pegas*, id est fontes.

V. 8. *Longe ... viam*, longam viam ad Phasin usque navigasse. Credebant antiquissimi, ut notat Bronk., Colchos et Pontum Euxinum, terrarum omnium et marium terminos esse ad orientem.

V. 9. *Labentem*, navem scil. Argo natantem, currentem; transmissis aquis Hellesponti adpulisse ad Mysiae portum inter scopulos; vel ad Argonthoneum montem, ut tradit Strabo, ut *scopulos* pro monte dixerit. Helle Athamantis Thebarum regis filia, quum fretum inter Thraciam et Asiam traiiceret, ibidem demersa est: unde Hellespontus, Mysia regio Asiae, finitima Phrygiae et Bithyniae.

V. 11. *Manus heroum*, Argonautarum; in quibus heroes Iason, Hercules, aliique.

» *Placitis oris*, tranquillo portu.

V. 12. *Mollia*, vel gramine tenero vestita; vel mollia futura substratis frondibus; vel est hypallago, pro molli fronde.

V. 13. *Comes*. Hylas Herculis minister et armiger.

V. 15. *Arganthi*, Arganthus, sive Arganthonius, ad cuius radices, vel paullo infra verticem, raptus fuit Hylas.

» *Pege*, fons, graeca vox.

V. 16. *Thiniades Nymphae*, pro Bithynicae: nam ea regio Thynia dicta a Thyno Arganthonis Nymphae filio, ut Arrianus scribit, quamvis Plinius Thyniam a Bithynia separet.

Quam supra nullae pendebant debita curae
  Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circumriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mixta papaveribus. 20
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui,
  Proposito florem praetulit officio:
Et modo formosis incumbens nescius undis,
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis 25
  Innixus dextro plena trahens humero:
Labitur infelix rapidis moriturus in undis;
  Tum sonitum lapso corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
  Nomen ab extremis fontibus aura refert. 30

V. 17. *Nullae*, antique, pro *nulli*.

V. 23. *Incumbens*, pronus in undas, suam sibi imaginem referentes, intuens ignarus periculi, errorem suum longiorem reddit, blanda et arridentis sibi simulacra in fonte spectando; ital. *lungamente s'intrattiene nel suo inganno*.

V. 26. *Innixus*, adducto brachio conatus extrahere plenam urnam.

V. 29. *Iterat*, iterum ac saepius eum vocando respondit: illi autem Echo aeris filia, ab imo fontis solum nomen quod inclamabat, reddit.

ELEGIA VIII.

Tu, qui consortem properas evadere casum,
  Miles ab Etruscis saucius aggeribus:
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
  Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato possint gaudere parentes, 5
  Haec soror Acca tuis sentiat e lacrimis,
Gallum per medios ereptum Caesaris enses

Arg. Eleg. VIII. *Galli Bello Perusino interfecti ad viatorem Prosopopoeia.*

V. 1. *Consortem*, o miles qui graviter vulneratus a Tuscis munitionibus, quibus Augustus Perusiam circum vallavit, properas effugere cladem mihi tecum communem. Bellum Perusinum significat, quo Augustus M. Antonium Triumvirum Perusiae obsedit, et fame ad deditionem compulit. Perusia porro inter principes Etruriae civitates numeratur. Videtur et hic Gallus, et miles quem alloquitur ab Antoniani partibus stetisse.

V. 3. *Nostro*, prae dolore ob nostram mortem suscepto?

V. 6. *Haec soror*, rem ita gestam cernat oculis: lacrymae enim fidem faciunt. - Acca fortasse Galli soror fuerit

V. 7. *Gallum*. Gallus hic Propertii propinquus, Bello Perusino a latronibus trucidatus.

Effugere ignotas non potuisse manus.
Et quaecumque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea. 10

ELEGIA IX.

Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
Quaeris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriae sunt nota sepultae
Italiae duris funera temporibus,
Quum Romana suos egit discordia cives: 5
(Sis mihi praecipue pulvis Etrusca dolor.
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo.)
Proxima supposito contingens Vmbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus. 10

Arg. Eleg. IX. *Ad Tullum de patria sua.*

V. 3. *Si Perusina*, si tibi notae sunt funestae clades Perusinae patriae meae sepultae calamitosis Italiae temporibus.

» *Patriae funera*, Romam fortasse significat, patriam Tulli.

V. 6. Mihi praesertim esse debes caussa doloris, o Etrusca terra.

V. 7. *Proiecta*, tu sivisti iacere insepulta membra Galli.

V. 9. *Proxima.* Vmbria, inquit, proxima Perusino ruinis, quae iacet in campo subiecto Ameriae, ubi Movania me genuit.

Digitized by Google

SEX. AVR. PROPERTII

VMBRI

LIBER II.

ELEGIA I.

Quaeritis unde levi fingamus arundine carmen?
  Vnde meus veniat blandus in ora liber?
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo,
  Ingenium nobis Cynthia sola facit.
Sive togis illam fulgentem incedere Cois, 5
  Hoc totum e Coa veste volumen erit:
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
  Gaudet laudatis ire superba comis:
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
  Miramur, faciles ut premat arte manus: 10
Seu quidquid fecit, sive est quodcumque locuta,
  Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
  Vt possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo 15
  Impositum, ut caelo Pelion esset iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,

Arg. Eleg. I. *Ad Maecenatem: se levia tantum argumenta et nugacia Elegis persequi posse, Heroico autem carmini scribendo minime parem esse.*

V. 5. *Incedere.* Regitur a *vidi: hoc totum*, idest, implebitur laudibus Coae purpureae vestis.

V. 10. *Premere manus*, Asconio Pediano est *chordas carpere.*

V. 14. *Heroas manus*, copias heroum ad bellum deducere versibus meis.

V. 15. *Titanas.* Titanes, gigantes terrae filii, qui Iovi bellum intulerunt, et ab eo fulminibus profligati atque interfecti sunt. Ossa, Olympus, Pelion Thessaliae montes.

V. 17. *Pergama*, non bellum Troianum canerem, unde Homero fama ingenii quaesita est.

Xerxis et imperio bina coisse vada:
Regnave prima Remi aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas, et benefacta Mari: 20
Bellaque, resque tui memorarem Caesaris: et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae:
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae, 25
Et Ptolemaeae litora capta Phari:
Aut canerem Aegyptum, et Nilum, quum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra Via: 30

V. 18. *Xerxis*, nec duo litora, Asiaticum scil., et Europaeum, quae Xerxis, Regis Persarum, iusso per pontem coniuncta fuerunt. Nam inter Abydon Asiae, et Sestoo Europae oppidum pontem construxit Xerxes, atque ita duo litora Hellesponti, spatio septem stadiorum dissita, coniunxit.

V. 20. *Cimbrorumque*. Cimbri Germaniae populi. Cum his bellum gessit C. Marius, deque iis triumphavit.

V. 22. *Secunda*, proxima mihi cura esset res tuas canendi, postquam satis cecinissem praeclara Augusti facinora.

V. 23. *Mutinam*, bellum Mutinense, quo D. Brutum Mutinae obsessum ab Antonio Hirtius et Pansa Coss. liberarunt.

» *Philippos*, bellum a Caesare contra Brutum et Cassium ad Philippos urbem Thessaliae gestum, quo plurimi cives occubuerunt.

V. 24. *Classica*, navale bellum, quo Sex. Pompeius ab Augusto devictus, cum sex tantum navibus, reliquis omnibus amissis, aufugiens, Siciliam deseruit.

V. 25. *Eversosque focos*. Perusiam nempe quae in Etruscis urbibus numerabatur.

V. 26. *Phari*, et expugnata litora Phari Alexandrinae, Aegyptiaeae. Bellum Alexandrinum significat Poeta. *Phari Ptolem.* Reges Aegyptii dicti Ptolemaei, quorum primus fuit Ptolemaeus Lagi filius. *Pharos* insula fuit Alexandriae per pontem a Caesare coniuncta, in qua fuit turris immensae altitudinis operibus mirificis extructa, quae ab insula nomen accepit.

V. 27. *Aegyptum*, scil. devictam. Nam Augustus post Actiacam victoriam Aegypto universa potitus, eam in provinciae formam redegit.

» *Nilum quum tractus*, coactus venire una cum captivis in triumphum tractus fluebat. Vt enim oppidorum et regionum, sic et fluviorum simulacra portabantur in triumphum, fingebanturque, ut fracti et victi lentius fluere.

V. 29. *Regum*, eorum scil., qui Antonio, Bruto, Sex. Pompeio et aliis hostibus Augusti faverant.

V. 30. *Rostra*, et rostra navium hostilium, in pugna ad Actium Epiri promontorium captarum.

» *Sacra via*. Festus ait, ita dictam videri, quia in ea foedus sit ictum inter Romulum et Tatium. Per eam vehebantur triumphales in Capitolium. Tres autem tenuis diebus Augusti triumphi. Primus de Dalmatis et Pannoniis; alter de Actiaca pugna adversus Antonium et Cleopatram; postremus de subacta Aegypto.

Te mea Musa illis semper contexeret armis,
  Et sumpta, et posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles:
  Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.
Sed neque Phlegraeos Iovis, Enceladique tumultus 35
  Intonet angusto pectore Callimachus:
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
  Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
  Enumerat miles vulnera, pastor oves. 40
Nos contra tenui meditamur carmina plectro,
  Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.

V. 31. *Contexeret*, tibi locum daret in iis bellis, o Maecenas, Augusto fidele caput, et facta et rupta pace.

V. 33. *Theseus*. Fortasse haec verissima fuerit subobscuri huius loci explicatio: Te, Maecenas, fidele caput Augusto, cuius amicitia flores, Ixioniden alterum Theseus testatur infernis, nempe illis qui inferos colunt: Achilles vero superis, mortalibus videlicet, Menoetiaden alterum. Fuerunt autem Theseus et Pirithous, Achilles et Patroclus duo clarissima amicorum paria.

V. 35. *Phlegraeos*, sed nec Callimachus tenui spiritu, et exili posset magna, forti voce canere periculosum Iovis et Enceladi bellum, quod in campo Phlegraeo gestum est iuxta Cumas ubi fabulantur Poetae victos gigantes, a Diis. Phlegraeus campus est etiam in Thessalia.

V. 37. *Conveniunt*, nec mei pulmones apti sunt reponendo, referendo nomen Caesaris in numerum Troianorum avorum, in numerum heroum Assaraci, Aeneae, Iuli, unde gens Iulia: *duro*, gravi.

ELEGIA II.

Iam tempus lustrare aliis Helicona choreis,
  Et campum Haemonio iam dare tempus equo.
Iam libet et fortes memorare ad praelia turmas,
  Et Romana mei dicere castra ducis.

Arg. Eleg. II. *A ludicris ad Caesaris victorias celebrandas, quamvis impar, paullisper divertere statuit.*

V. 1. *Iam tempus*. Nunc tempus est Heliconem, Boeotiae montem Musis dicatum, circuire aliis choreis, idest non mollibus et Ionicis saltationibus ut hactenus, at virilibus et militaribus. Aliae enim choreae sunt Musarum et poetarum ludentium: aliae pugnas canentium

V. 2. *Et campum* etc. Puto, Poetam dicere, fixum sibi esse, grave Epos condere, ad exemplum Iliados Homericae, in qua primas partes sustinet Achilles Thessalus, acerrimus bellator, et dominus equorum longe omnium praestantissimorum.

V. 4. *Mei* dixit, partes Augusti se secutum significans.

Quod si deficiant vires, audacia certo 5
Laus erit: in magnis et voluisse, sat est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili iam carmine: sumite vires
Pierides: magni nunc erat oris opus. 10
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum; et Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho:
Et domus intactae te tremit Arabiae.
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris, 15
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar vates: tua castra canendo
Magnus ero: servent hunc mihi fata diem.
Vt caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes: 20
Sic nos, nunc inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

V. 7. *Subducto*, contracta fronte.

V. 10. *Erat* pro *est*.

V. 11. *Negat*, Euphrates clarissimus Armeniae fluvius fatetur equitem Parthorum non amplius respicere a tergo, simulque sagittas in temere sequentes torquere; vel recusat Euphrates tueri Parthos equites a tergo: et dolet detinuisse captivos et occidisse Marcum patrem, et Publium filium Crassos, nec saltem ossa remisisse in patriam, et signa reddidisse.

V. 13. *Dat colla*, Praeterea tibi victori cervices praebet India vinciendas. De gemina a Poro Indorum Rege ad Augustum legatione, vide Sueton. in August.

V. 19. *Vt caput*, quemadmodum in ingentibus deorum simulacris, quum non est scil. potestas, non licet attingere caput, tunc coronae ad eorum pedes ponuntur.

V. 21. *Inopes*, quum non possimus ad sublime et laudabile carmen pervenire quo heroes celebrantur.

V. 22. *Pauperibus sacris*, diis ligneis, vel fictilibus.

V. 23. *Ascraeos*. Hippocrenen et Aganippen significat.

V. 24. *Permessi*. Permessus ex Helicone fluit. Minores autem Poetae e Permesso hauriunt, maiores ex ipsa fonte Heliconis Aganippe.

ELEGIA III.

Scribant de te alii, vel sis ignota, licebit;
Laudet, qui sterili semina ponit humo.

Arg. Eleg. III. *Cynthiae iratus ei contemtum apud posteros vaticinatur.*

Digitized by Google

Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
  Auferet extremi funeris atra dies.
Et tua transibit contemnens ossa viator, 5
  Nec dicet: cinis hic, docta puella fuit.

V. 3. *Munera.* Carmina illa quae te celebrant.

V. 3. *Lecto.* Scilicet funebri.

V. 6. *Puella* pro uxore.

ELEGIA IV.

Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,
  Accipe, quae serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
  Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno, 5
  Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus; adsint
  Plebeii parvae funeris exequiae.
Sat mea, sat magna est, si tres sint pompa libelli;
  Quos ego Persephonae maxima dona feram. 10
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
  Nec fueris nomen lassa vocare meum.
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
  Quum dabitur Syrio munere plenus Onyx
Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor, 15
  Accipiat manes parvula testa meos.
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
  Quae tegat extincti funeris umbra locum:

Arg. Eleg. IV. *Docet Cynthiam quomodo componi vellet.*

V. 2. *Acta.* Mandata literis consignata, in funeris mei esequiis curanda.

V. 3. *Longa imagine*, longa scilicet imaginum serie.

» *Spatietur.* Lente incedat et graviter.

V. 6. *Mors mea.* Ego mortuus.

» *In Attalico toro.* In toro Attalica veste instrato. - Attalus rex, ut ait Plinius, aurum intexere vestibus primus invenit.

V. 7. *Odoriferis lancibus.* Lances intelliguntur, thure et odoribus repletae, quae, longo ordine, cum corpore mortuo cremandae ferebantur.

V. 9. *Tres libelli.* Vel Mimnermi, Callimachi et Philetae carmina, ut intelligit Vulpius; vel tres libelli ipsius Propertii, quos iam tum scribere instituerat.

V. 10. *Persephonae*, Proserpina.

V. 14. *Syrio munere.* Unguento ex Syria advecto.

» *Onyx.* Vas unguentarium ex Onyche gemma, vel ex marmore colorem unguis humani referente.

V. 16. *Manes.* Pro cinere et ossibus.

V. 18. *Funeris extincti.* Cineres rogo detractos, et vino extinctos significat.

Digitized by Google

Et duo sint versus: QVI . NVNC . IACET . HORRIDA . PVLVIS
HIC . QVONDAM . PHOEBI . MAXIMA . CVRA . FVIT. 20
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata (memento:
Hoc iter), ad lapides, sponsa, veni memores.
Interea cave, sis nos adspernata sepultos. 25
Nonnihil ad verum conscia terra sapit.

V. 22. *Quam fuerant*; scilicet nota *Phthii viri*, Achillis, ita dicti a Phthiotide, Thessaliae tractu, cui imperabat.

» *Busta cruenta*, propter Polyxenam, Priami et Hecubae filiam, ad sepulcrum eius immolatam.

V. 23. *Venies ad fata*. Dum morieris.

V. 24. *Ad lapides*. In eodem mecum sepulcro iube te condi.

V. 26. *Conscia terra*. Cave igitur, ne asperneris me sepultum, nam manes mei sapiunt utrum illis iusta persolveris.

ELEGIA V.

Atque utinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quaevis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
Nestoris est visus post tria secla cinis.
Si tam longaevae minuisset fata senectae 5
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
Diceret, aut, o mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso nonnumquam coniuge flebis:
Fas est praeteritos semper amare viros. 10
Testis, quem niveum quondam percussit, Adonis,
Venantem Idalio vertice durus aper.

Arg. Eleg. V. *Quum omnibus sit aeque moriendum, se prima aetate minime interiisse, dolet.*

V. 2. *Quaevis*. Quaelibet e tribus Parcis, sive Clotho, sive Lachesis, sive Atropos.

V. 4. *Nestoris*. Post annos trecentos tandem Nestor interiit.

V. 6. *Gallicus miles*. Phrygius, Troianus, a Gallo Phrygiae fluvio.

V. 7. *Antilochi*. Antilochus Nestoris filius, in bello Troiano, a Memnone Aurorae filio interfectus.

» *Humati*, pro humandi.

V. 11. *Testis*. Adonis exemplo id demonstratur, quem licet niveum forma, durus aper percussit, fulmineis dentibus, venantem in vertice Idalio. Venus miserta iuvenis, illum deflevit, et tandem in florem purpureum mutavit.

V. 12. *Idalio vertice*. Idalium nemus et mons, urbi eiusdem nominis vicinus in Cypro.

Digitized by Google

Illic extinctum flevisse paludibus, illuc
  Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia manes. 15
  Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

ELEGIA VI.

Etsi, me invito, discedis, Cynthia, Roma,
  Laetor, quod sine me devia rura colis.
Sola eris, et solus spectabis, Cynthia, montes,
  Et pecus, et fines pauperis agricolae.
Illic assidue tauros spectabis arantes, 5
  Et vitem docta ponere falce comas.
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
  Hoedus ubi agrestes corruet ante focos.
Ipse ego venabor; iam nunc me sacra Dianae
  Suscipere et Phoebo ponere vota iuvat. 10
Incipiam captare feras et reddere pennis
  Cornua, et audaces ipse monere canes.
Non tamen ut vastos ausim tentare leones,
  Aut celer agrestes cominus ire sues.
Haec igitur mihi sit lepores audacia molles 15
  Excipere, et stricto figere avem calamo:
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco,
  Integit, et niveos abluit unda boves.
Quod si sola minus laetabere, sponsa memento
  Venturum paucis me tibi luciferis. 20

Arg. Eleg. VI. *Ad Cynthiam rus euntem.*

V. 6. *Ponere comas.* Putari.

V. 7. *Rara tura,* quia raro adolentur.

V. 9. - 10. *Sacra Dianae suscipere.* Pelliceri Dianae capita vel cornua aprorum vel cervorum.

V. 10. *Phoebo ponere vota.* Suspendam tabellam votivam, quod me voti compotem fecerit.

V. 11. *Reddere pinu cornua* vulgo legitur, h. e. figere in pinu cornua vota, promissa, Dianae. *Reddere pennis cornua. Penna,* usurpatur pro sagitta. *Cornu* pro extremitate spiculi hamati.

V. 14. *Cominus ire.* Congredi.

V. 16. *Stricto calamo.* Sagitta emissa.

V. 17. *Clitumnus.* Clitumnus et Deus et lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt.

V. 20. *Luciferis.* Luciferi ut *soles,* pro diebus.

ELEGIA VII.

Vidi te in somnis, fracta, mea vita, carina,
Ionio lassas ducere rore manus.
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen
Aurea, quam molli tergore vexit, ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet, 5
Atque tua labens navita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
Quaeque tibi excepi tum dea Leucothee?
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
Saepe meum nomen iam peritura vocas. 10
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
Quum mihi discussit talia visa metus.

Arg. Eleg. VII. *Ad Cynthiam. Se illam in somnis naufragio proximam vidisse.*

V. 3. *Qualem etc.* Ordo est: Vidi te (talem) qualem ovis aurea vidit etc.

» *Hellen.* Helle Athamantis regis Thebanorum et Nepheles filia, cum Phrixo fratre, odia novercalia fugiens, ariete aureo avecta est per aerem, sed in mare decidit, cui ab ea nomen *Hellespontus.*

V. 3. *Purpureis fluctibus*, vel reipsa rubentibus, vel formosis.

V. 4. *Aurea ovis.* Sic appellata ob lanae caritatem.

V. 7. *Fratri*, Pollucl.

V. 8. *Excepi*, promisi.

» *Leucothee.* Ino, filia Cadmi, Athamantis Thebanorum regis uxor, in deam marinam mutata, a Graecis Leucothee, a Latinis Matuta dicta.

V. 12. *Arioniam.* Arion, Methymnaeus, scilicet Lesbius citharoedus nobilissimus, quum ex Italia Corinthum navigaret, a nautis pecuniae illius cupidis iussus est in mare praeceps desilire; ab iis tamen impetravit, ut prius quam mortem oppeteret, caneret carmen casus illius sui inconsolabile. Impetravit, cantavit, et mox eiecit se procul in profundum, tum ab uno delphinum, quos cantus audiendi aviditas congregaverat, exceptus, incolumique corpore Taenarum in terram Laconicam deductus est.

ELEGIA VIII.

At vos incertam, mortales, funeris horam
Quaeritis, et qua sit mors aditura via:

Arg. Eleg. VIII. *Frustra mortales quaerere, quando, et quo mortis genere sint perituri. Poetas solos mortem minime timere.*

Quaeritis et caelo Phoenicum inventa sereno,
Quae sit stella homini commoda, quaeque mala.
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos, 5
Et maris, et terrae caeca pericla viae.
Rursus et obiectum fletis capiti esse tumultum,
Quum Mavors dubias miscet utrimque manus.
Praeterea domibus flammam, domibusque ruinam,
Neu subeant labris pocula nigra tuis. 10
At qui Musarum sequitur vestigia, docta
Mente, neque hic Boreae flabra, neque arma timet.
Iam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo doctarum revocaverit aura sororum 15
Concessum nulla lege redibit iter.

V. 3. *Phoenicum inventa.* Scientiam astrorum, quam verisimile est a Tyriis Phoeniciae populis inventam, ut ea navigantes uterentur.

V. 5. *Seu pedibus, seu classe.* Terra marique.

» *Parthos et Britannos.* Tamquam hostes Romani nominis, tum nondum subactos, pro quibusvis aliis.

V. 7. *Rursus et obiectum capiti;* pro obiectum esse caput periculis belli.

V. 9. *Praeterea.* Fletis obiectas esse domos igni et ruinae.

V. 10. *Neu subeant.* Times ne bibas pocula infecta veneno.

V. 13. *Remex.* Charon qui mortuorum animas ferruginea cymba traiicit.

V. 15. *Aura.* Vox dulcis.

V. 16. *Concessum nulla lege iter,* unde redire nulli ius est lege fati.

ELEGIA IX.

Quaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in speciem Poenis digesta columnis:
Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso 5
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.

Arg. Eleg. IX. *Apollinis Palatini porticum ac templum Cynthiae describit.*

V. 2. *Aperta.* Hic ea porticus intelligitur quae adiuncta erat templo Apollinis Palatini cum bibliotheca Graeca et Latina. Vode *Porticus Phoebi* dicitur, in qua et Danaidum picta fabula.

V. 3. *Erat,* pro est.

» *In speciem,* ad ornatum.

V. 4. *Femina,* pro feminea.

V. 5. *Phoebo,* hic Apollo seipso hercle pulcrior, licet marmoreus hiscendo mihi visus est canere ad sonitum tacitae lirae. Diversus ab eo alter erat Apollo in bibliotheca Palatina, Scopae opus.

Atque aram circum steterant armenta Myronis
  Quatuor artifices vivida signa boves.
Tum medium Clario surgebat marmore templum,
  Et patria Phoebo carius Ortygia. 10
Auro Solis erat supra fastigia currus,
  Et valvae Libyci nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnasi vertice Gallos,
  Altera moerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse, interque sororem, 15
  Pythius in longa carmina veste sonat.

V. 7. *Steterant*, stabant quatuor boves ex aere, Myronis peritissimi sculptoris opus.

V. 8. *Boves*, vel tamquam victimae, vel quia olim pastor Apollo.

V. 9. *Medium*, pars templi media, ubi divum simulacra, marmoreis gradibus attollebatur et conscendebatur.

» *Clario*. Non vult dicere templum Apollinis Palatini Clario marmore structum; sed aedem eam esse Phoebo cariorem templo quod in Claro est, et illo quod est in Delo.

V. 10. *Carius*, acceptius templo, quod est Deli, quae ei natale solum. Claros Ioniae oppidum cum fonte, luco et templo Apollini sacro, qui propterea Clarius cognominatus est, apud Colophonem urbem.

» *Ortygia*, eadem ac Delos. Insula maris Aegei, Apollinis ortu temploque clarissima.

V. 11. *Auro*, supra templi fastigium erat currus Solis ex auro, et valvae erant ex ebore Africano.

V. 13. *Gallos*. Quum Galli in Graeciam irrupissent, contulerunt se Delphos ad diripienda Delphici templi donaria. Incolae eis occurrerunt, ac tum crebra de coelo fulmina, et divinitus ac sponte avulsa de Parnaso saxa Gallorum aciem perculerunt.

V. 14. *Tantalidos*. Niobe Tantali filia, uxor Amphionis regis Thebarum. Haec ob septem filios septemque filias nimium superbiens, ausa est Latonam, eiusque prolem Apollinem et Dianam parvi pendere; quod Latona indigne ferens, rogavit filios, ut maternas iniurias ulciscerentur. Apollo igitur et soror universam Niobae sobolem sagittis occiderunt. Ea vero prae doloris magnitudine in saxum obriguit.

V. 15. 16. *Deus Pythius*. Apollo sic dictus a Pythone serpente interfecto.

Digitized by Google

SEX. AVR. PROPERTII

VMBRI

LIBER III.

ELEGIA I.

Callimachi manes et Coi sacra Philetae,
  In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
  Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro, 5
  Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah! valeat Phoebum quicumque moratur in armis:
  Exactus tenui pumice versus eat.
Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
  Nata coronatis Musa triumphat equis, 10
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.

Arg. Eleg. I. *Elegiaci carminis facultate nominis immortalitatem sperat se consecuturum.*

V. 1. *Callimachi.* Callimachus, Cyrenensis fuit ex patre Batto. Floruit Ptolemaei Philadelphi temporibus, cuius in aulam receptus fuit. Philetas fuit Cous, quem Aelianus lib. IX tanta gracilitate fuisse ait, ut calceis haberet ferro suppactum solum, ne a vento raperetur.

» *Sacra*, hic videntur esse ipsi dii Manes - Optat adnumerari inter Elegiacos poetas.

V. 2. *Nemus.* Luci et nemora addebantur virorum clarorum sepulcris, et sacra et sacerdotes. In iis nemoribus ipsi Manes habitare credebantur.

V. 3. *Ingredior*, ego primus Musarum antistes ex fonte reliquis intacto, incipio Latinas Musas deducere per Graiorum Poetarum choros.

V. 6. *Quove pede*, bono, an malo dextro et secundo, an laevo et inauspicato pede nemus ingressi, vel antrum.

V. 7. *Ah valeat*, ab facessat quisquis Phoebum detinet in bellis canendis. Fluant versus mei accurate expoliti tenui pumice, scil. tenui stilo.

V. 11. *Parvi amores.* Cupidinum, seu Amorum agmen intelligit, qui pueri finguntur.

V. 12. *Scriptorumque*, et poetarum multitudo subsequitur meum currum.

Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent, 15
Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae:
Non faciet capiti dura corona meo. 20
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici foenore reddet honos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas;
Maius ab exsequiis nomen in ora venit:
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces? 25
Fluminaque Haemonio cominus isse viro?
Idaeum Simoënta Iovis cunabula parvi?
Hectora ter campos, ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta sine armis?
Qualemcumque, Parin vix sua nosset humus. 30
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
Troia bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus

V. 13. *Quid frustra.* Apostrophe ad aemulos, praesertim heroicos poetas.

» *Missis.* Metaphoram ducit ab equis, quos ad cursum impellimus effusis in cervice habenis.

V. 14. *Non datur*, non relinquitur vobis lata via tendendi ad Musas, angusta via est, quae conceditur ad Musas tendentibus quam ego iam occupavi.

V. 16. *Bactra*, urbs ad Bactrum fluvium sita, caput regionis Bactrianae, quae ad Persarum imperium olim pertinebat.

» *Honos*, fama.

V. 25. *Pulsas*, Pergama ligneo equo pulsata, eversa. Xanthus et Simois, Troiae fluvii coniurarunt contra Achillem Phthium ac Thessalum. Xanthus apud Homerum suis aquis Achillem obruere conatur, advocato Simoente.

V. 27. *Idaeum.* In Ida Phrygiae monte, unde Simois oritur, Iovem natum significat hic Poeta; alii vero in Ida Cretae ortum habuisse contendunt.

V. 28. *Rotas*, currum cruentasse. Hectorem interfectum, loris per pedes traiectis curru alligatum ter circum urbem Troiam raptari iussit Achilles.

V. 29. *Deiphobum*,. Deiphobus et Helenus, Priami, Troianorum Regis, filii, Homeri et Virgilii carminibus notissimi; Polydamas Antenoris filius consilio clarus.

V. 31. Ilium a Troia hic separat, quia proprie Ilium urbs ipsa; regio Troia.

V. 32. *Bis capta*, semel ab ipso Hercule; iterum a Graecis duce Agamemnone, sed opera Phyloetetae qui Herculis sagittis confixit Paridem; sine quo capi Troia non poterat.

» *Oetaei dei.* Herculis qui in Oeta monte conflagravit.

Posteritate suum crescere sentit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes, 35
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulcro
Provisum est, Lycio vota probante deo.

V. 38. *Lycio deo*, Apolline meis votis annuente. Lycii Apollinis oraculum apud Pataram (unde Pataraeus dictus) Lyciae urbem, clim celeberrimum.

ELEGIA II.

Orpheu, te lenisse feras et concita dicunt
Flumina Threicia sustinuisse lyra.
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coïsse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna 5
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis et Bacchio, et Apolline dextro,
Si mea Romulidum carmina turba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes: 10
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites, et carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.

Arg. Eleg. II. *Poeticam facultatem valere plurimum: carminibus vero, tanquam certissimis monumentis, ingenii memoriam consecrari.*

V. 3. *Saxa agitata*, saxa montis Cithaeronis o suis sedibus convulsa, et Thebas attracta per artem, per cantum Amphionis. Paruassus mons Thessaliae, vicinus Boeotiae, finditur in duo iuga; Helicona Musis et Cithaerona Libero patri sacrum, Cithaeron Platacensium rex antiquissimus fuit, unde alterum Parnassi iugum nomen accepit.

V. 5. *Fera sub Aetna*, ad radices Aetnae, incultae, ob Cyclopas et montis incendium. Galatea Nerei filia habenis vertit ad tuos cantus equos marinos.

V. 9. Taenarus Laconiae promontorium, unde nobilissimum viride marmor eruebatur.

V. 10. *Camera*, ebore ornata, auratisque trabibus. Camera, pars cubiculi superior in testudinis modum curvata, vel, ut dicit Budaeus, in similitudinem pergularum hortensium facta.

V. 11. *Phaeacas*, Phaeacia, Corcyra insula Alcinoi hortis nobilitata.

V. 12. *Marcius liquor*. Aquam Marciam omnium aquarum maximam et praestantissimam perductam in Vrbem a P. et Q. Marciis, e gente regis Anci Marcii scribit Plutarchus.

Fortunate, meis quisquis celebrabere chartis;
  Carmina erunt famae tot monumenta tuae.
Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
  Nec Iovis Elei caelum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
  Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
  Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
  Excidet: ingenio stat sine morte decus.

V. 19. *Mausolei.* Mausoleum sepulcrum, tum quod Artemisia Cariae regina Mausolo marito struxerat, septem orbis miracula numeratum.

ELEGIA III.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
  Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum
  Tantum operis nervis hiscere posse meis.
Parvaque tam magnis admoram fontibus ore,
  Vnde pater sitiens Ennius ante bibit;
Et cecinit Curios fratres, et Horatia pila,
  Regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
  Cannensem, et versos ad pia vota deos; 1
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
  Anseris et tutum voce fuisse Iovem.
Quum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
  Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te 15
  Carminis heroi tangere iussit opus?

Arg. Eleg. III. *Narrat, se inter dormiendum a Phaebo et Calliope reprehensum, quod heroici carminis fontes attingere ausus fuisset.*

V. 4. *Hiscere*, experiri canere fidibus meis.

V. 7. *Curios.* Curiatiorum fratrum et Horatiorum hasta armatorum.

V. 8. *Regiaque*, et regia spolia in triumphum vecta navi Paulli Aemilii, qui de Perseo Macedoniae rege triumphavit.

V. 11. *Lares*, Penates Vrbis Romae, deos tutelares. Quum noctu Galli, capta iam urbe, in Capitolium clanculum obrepissent, anserum clamore et strepitu excitatus Manlius, telis missilibusque saxis proturbavit.

Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti.
  Mollia sunt parvis prata terenda rotis.
Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros?
  Non est ingenii cymba gravanda tui. 20
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
  Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
  Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis, 25
  Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, et Sileni patris imago
  Fictilis, et calami, Pan Tegeee tui.
Et Veneris dominae volucres mea turba columbae
  Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu. 30
Diversaeque novem sortitae rura puellae
  Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
  Aptat, et illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una dearum; 35
  Vt reor a facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis semper vectabere cycnis;
  Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praetoria classica cornu
  Flare, nec Aonium cingere Marte nemus: 40
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
  Stent, et Teutonicas Roma refringat opes,

V. 18. *Mollia prata*. Mollia argumenta tractanda sunt tenui stilo.

V. 22. *Turba*, tempestates maximae sunt.

V. 23. Hic significat se Romanorum primum Elegos in Graecorum morem conscripsisse.

V. 27. *Ergo*, praeterea.

V. 28. *Pan*. Tegeeus dicitur Pan deus pastorum ab urbe quadam Arcadiae, cui nomen Tegea, vel Tegeum, ubi praecipue colebatur.

V. 30. *Gorgoneo*. Intelligit fontem Pegasum. Perseus vectus Pegaso Gorgonos vicit: ex quo Pegasus vocatus Gorgoneus equus.

V. 33. *Hederas*, haec hederas decerpit, ut iis hastas tegat, quibus in sacris Liberi Patris utebantur.

V. 33. *Haec hederas*. Melpomene thyrsos offert tragicis: Clio et Polyhymnia lyricos aptare vocem fidibus docet. At elegiacis Erato rosas texit, et mollia serta.

V. 38. *Equi sonus*, nec te acer equus hinniens vehet ad bella, poetam heroicum.

V. 41. *Mariana signa*, Aquilae. Aquilam Romanis legionibus proprie dicavit C. Marius in secundo consulatu: abdicatis aliis signis, Lupi, Minotauri, Equi et Apri.

V. 42. *Teutonicas*. Germaniae populos Cimbris vicinos profligavit Marius.

Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
  Saucia moerenti corpora vectet aqua.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis, 45
  Ora Philetea nostra rigavit aqua.

V. 43. *Suevo*, de fuga et clade Ariovisti intellige.

V. 45. *Talia*, sic alt Calliope.

ELEGIA IV.

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,
  Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viae merces, parat ultima terra triumphos.
  Tigris et Euphrates sub sua iura fluent.
Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis. 5
  Assuescent Latio Partha tropaea Iovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
  Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano. Crassos, cladesque piate;
  Ite, et Romanae consulite historiae. 10
Mars pater, et sacrae fatalia lumina Vestae,
  Ante meos obitus sit, precor, illa dies:
Qua videam spoliis onerato Caesaris axe,
  Ad vulgi plausus saepe resistere equos.
Ac prope solemnis pompam spectare triumphi 15
  Incipiam, et titulis oppida capta legam.
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
  Et subter captos arma sedere duces.

Arg. Eleg. IV. *Augusto Caesari bellum adversus Indos paranti bene ominatur.*

V. 4. *Tigris.* Per Tigrim et Euphratem Asiae fluvios ex Armeniae montibus ortos, Armeniam, Parthiam, Mesopotamiam intelligit.

V. 5. Fiet provincia Romanis magistratibus subiecta.

V. 6. *Assuescent.* Parthorum spolia triumphali pompa in Capitolium vehi saepe conspicientur.

V. 8. O equi armigeri, ducite munus vestrum, id est, facite officium vestrum in bello.

V. 9. *Crassos.* Crassi enim pater et filius a Parthis interfecti fuerunt, signisque militaribus abreptis, caesus fugatusque exercitus.

V. 10. *Consulite*, materiam suppeditate Romanae historiae.

V. 13. *Axe* pro curru.

V. 16. *Titulis.* Tituli in triumpho erant tabellae, in quibus gestarum summa capita scribebantur.

V. 17. *Fugacis equi*, fugientium equitum Parthorum hastas.

» *Braccati.* Medi et Parthi potissimum significantur.

V. 18. *Captos*, et captivos, imagines regum, ducum captivorum sedere sub armis, suppositas tropaeis, quae in triumphi pompa ferebantur.

Ipsa tuam serva prolem Venus: hoc sit in aevum,
  Cernis ab Aenea quod superesse caput. 20
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
  Me sat erit media plaudere posse via.

V. 19. *Prolem*, gentem Iuliam, ex qua oriundus erat Augustus.

V. 20. *Ab Aenea*, de gente Aeneae. » *Caput*, Augustus.

ELEGIA V.

Pacis Amor deus est, pacem veneramur et omnes:
  Quid mea turbantur corda cupidinibus?
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur, 5
  Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo:
  Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte:
  Recta animi primum debuit esse via. 10
Nunc maris in tantum vento iactamur, et hostem
  Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
  Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebitur umbris, 15
  Consule cum Mario capte Iugurtha sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
  Optima mors, parca quae venit apta die.
Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa,

Arg. Eleg. V. *Ait, se genio, et scribendis elegis dare operam velle; donec aetate ingravescente a poeticis nugis ad severa physicae studia traducatur.*

V. 4. *Bibit*, nec sitiens bibi e gemmeo poculo.

V. 7. *O prima*, o infelix, infausta ipsi Prometheo terra, ex qua ille primum hominem finxit. Pervulgata Promethei fabula ob id ad Caucasum religati, addito aquilae supplicio iecur tendentis.

V. 8. *Parum cauti pectoris*, hominis parum providi opus formavit.

V. 9. *In arte*, in opere suo, in homine fingendo.

V. 11. *In tantum*, per tam vastum mare.

V. 12. *Nectimus*, bella ex bellis serimus.

V. 18. *Parca*. Vulpius intelligit, mortem esse felicissimam, quae pauperibus contingit, quos miseriis liberat; vel quae iis contingit, qui media aetate moriuntur.

Musarumque choris implicuisse manus. 20
Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi iam choreas gravis interceperit aetas,
Sparserit et nigras alba senecta comas:
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores, 25
Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit Exoriens, qua deficit: unde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit.
Vnde salo superant venti: quid flamine captet
Eurus et in nubes unde perennis aqua. 30
Si ventura dies mundi quae subruat arces:
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis.
Cur serus versare boves et plaustra Bootes; 35
Pleiadum spisso cur coit imbre chorus.
Curve suos fines altum non exeat aequor,
Plenus et in partes quatuor annus eat.
Sub terris si iura deum, et tormenta Gigantum:
Tisiphones atro si furit angue caput. 40
Aut Alcmaeoniae furiae, aut ieiunia Phinei:
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.

V. 27. *Exoriens*, pro sole ipso.

V. 29. *Superant*, qua de causa abundant.

» *Captet*, quid et cui insidietur, quum flare incipit.

V. 32. *Arcus*, caelestis.

V. 33. *Perrhaebi*, Pindi, ad cuius radices habitant Perrhaebi. Pindus ingens Thessaliae mons ad occasum habuit Perrhaebos, qui a Lapithis fugati eo se receperunt.

V. 34. *Atratis equis*, sordidatis et Caesaris necem lugentibus.

V. 35. *Serus*. Bootes enim, sive Arctophylax, non nisi mane occidit.

V. 36. *Pleiadum*, cur coelus Pleiadum coeat, conspiret ad ciendum spissum imbrem. Pleiades sunt coetus septem stellarum, quarum sex conspicuae, septima latet.

V. 41. *Alcmaeoniae furiae*. Alcmaeon Amphiarai vatis filius, qui patris iussu Eriphylem matrem suam interfecit, ob id in insaniam actus et a Furiis agitatus dicitur.

» *Phinei*. Phineus Agenoris filius, vel Arcadiae, vel Thraciae, vel Paphlagoniae Rex, qui quum vaticinis praeditus esset, deorum fata mortalibus revelabat: ob id Iuppiter eum oculis orbavit, immissis Harpyis, quae comedentis ex ore cibos eriperent.

V. 42. *Rota*. Ixion, Phlegiae filius, a Iove mensae deorum adhibitus, Iunonem tentare ausus fuit. Quare in Tartarum detrusus, rotae alligatus fuit, quae sine intermissione dies ac noctes volveretur.

» *Scopuli*. Sisyphus Aeoli filius, Corinthiorum rex, damnatus fuit apud inferos, ut saxum ingens ad montis verticem volutaret; quod iterum cadens,

Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, et Tityo iugera pauca novem.
An ficta in miseras descendit fabula gentes, 45
  Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi: vos, quibus arma
  Grata magis, Crassi signa referte domum.

novi semper laboris misero materiam praeberet.

V. 42. *Sitis*, Tantalus, Iovis filius, quod filium Pelopem ingulasset, diisque apposuisset comedendum, vel quod arcana deorum revelasset, ut alii narrant, ad inferos detrusus, sitiens rivo adsidet, et aquis refugientibus frustra inhiat.

V. 44. *Tityo*: et Tityo porrecto et iacenti vix satis sint novem iugera, ob enormem scil. corporis magnitudinem. Tityus gigas ob tentatam Latonam sagittis Apollinis ad inferos detrusus est; ubi iecur duobus vulturiis depascendum tradere cogeretur, toties renascens quoties absumptum esset.

ELEGIA VI.

Ergo sollicitae tu caussa, pecunia, vitae es:
  Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes:
  Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus 5
  Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
  Et nova longinquis piscibus esca natat.
Et mater non iusta piae dare debita terrae,
  Nec pote cognatos inter humare rogos. 10
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae,
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo raptae timor Orithyiae,
  Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?

Arg. Eleg. VI. *Paeti cuiusdam adolescentis naufragium deplorat: simul avaritiam hominum, et navigandi morem execratur.*

V. 4. *De capite tuo*, ex te.

V. 5. *Pharios*, Pharos, insula Aegypti, Alexandriae coniuncta, ponte a Iul. Caesare extructo.

V. 9. *Iusta*, nec mater potest persolvere debitas exequias cineribus sub terra conditis. Non enim fieri poterant sine aliquo mortui membro.

V. 12. *Carpathium*, ita dictum a Carpatho insula, quae inter Rhodum et Cretam est e regione Aegypti.

V. 13. *Orithyiae*, Orithyiam Erictaei, seu Ericthonii Athenarum regis filiam ab Aquilone raptam fuisse ferunt, et in Thraciam abductam, ex eaque natos Zeten et Calain.

V. 14. *Ex illo*, nempe Paeto.

Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina? 15
Portabat sanctos alveus ille viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt. 20
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argynus poena minantis aquae.
Hoc iuvene amisso classem non solvit Atrides:
Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo positaque in gurgite vita 25
Paetum sponte tua vilis arena tegas.
Vt, quoties Paeti transibit nauta sepulcrum,
Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvas, et leti texite caussas,
Ista per humanas mors venit acta manus. 30
Terra parum fuerat: fatis adiecimus undas:
Naturae miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcumque paras: haud ulla carina 35
Consenuit: fallit portus et ipse fidem.
Fortuna insidias pontum substravit avaris.
Vt tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,

V. 19. *Nocturnis*, omnia enim vincula, quibus a te ligata fuerat navis, detritis per procellam noctu saevientem funibus, iuxta scopulos in mare decidunt.

V. 21. *Agamemnonias*, testantur curas, ripae amnis Cephisi, quas infames reddit mors Argyni iuvenis, submersi in iis aquis.

V. 22. *Argynus*. Vt mare crudele esse testetur, et aquarum deos vel surdos, vel nullos putius, Argyni adolescentuli Agamemnoni carissimi, et in Cephiso flumine submersi fatum cum Paeti fato comparat. Poena aquae, hypali. pro *aqua poena Argyni*.

V. 24. *Pro qua mora*, ob quod spatium temporis, quod frustra terebatur in Aulide, Iphigenia immolata est.

V. 30. *Ista mors*, talis mors, quae scil. naufragio contingit, venit impulsa et festinata arte et manibus hominum.

V. 34. *Quid meritum*, quo malo dignum esse eum dices qui sua terra natali contentus non est?

V. 37. *Substravit*, tranquillum reddidit mare, insidiosum avaris.

V. 38. *Vix*, vix semel contingere potest, ut ex animi sententia tibi navigatio succedat.

V. 39. *Saxa Capharea*. Promontorium Euboeae insulae in quod victrix Graecorum classis misere impegit. Quum enim Nauplius eius insulae rex filium suum Palamedem a Graecis

Naufraga quum vasto Graecia tracta salo est 40
Paullatim sociûm iacturam flevit Vlyxes,
In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros
Verbaque duxisset pondus habere mea:
Viveret ante suos dulcis conviva penates, 45
Pauper at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae;
Et duro teneras laedere fune manus.
Sed thyae thalamo aut Oriciae terebinthi
Effultum pluma versicolore caput. 50
Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues,
Et miser invitam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno,
Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis, 55
Quum moribunda niger clauderet ora liquor:
Dî maris, Aegei quos sunt penes aequora Venti,
Et quaecumque meum degravat unda caput:
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Adtulimus longas in freta vestra manus. 60
Ah miser, alcyonum scopulis adfigar acutis.
In me caeruleo fuscina sumta deo est.
At saltem Italiae regionibus evehat aestus:
Hoc de me, sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus: 65
Vltima quae Paeto voxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Thetis,

interemtum audisset, videns Graecos tempestate laborare, montem illum adscendit, et elata facula signum dedit vicini portus: quo decepti Graeci ad asperrimos scopulos naves omnes alliserunt.

V. 43. *Verteret*, refertur ad Paetum.

V. 47. *Non tulit*, hic Paetus non ferebat.

V. 49. *Sed thyiae*, sed in lecto ex thyiae arboris ligno, vel Epiroticae terebinthi reclinatum *habere* caput in pluma versicolore.

» *Oricos*, inquit Servius in Virg., civitas est Epiri, iuxta quam nascitur terebinthus, nigrum lignum, habens folia in buxi speciem.

V. 55. *Dedit mandata*, has preces.

V. 60. *Adtulimus longas*. Vulpius sic explicat. Parcite, dii maris non enim sacrificia vestra neglexi antequam oram solverem, immo pelagus intravi supplicibus palmis et ad vos protentis.

V. 68. *Tacta*, quae sensisti eum dolorem quo matres afficiuntur amissis liberis. Amisit enim Thetis Achillem filium.

Vos decuit lasso subponere brachia mento:
  Non poterat vestras ille gravare manus. 70
At tu, saeve Aquilo, numquam mea vela videbis.
  Ante fores patrias condar oportet iners.

ELEGIA VII.

Maecenas eques, Etrusco de sanguine regum,
  Intra fortunam qui cupis esse tuam:
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
  Non sunt apta meae grandia vela rati.
Turpe est quod nequeas capiti committere pondus, 5
  Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
  Fama nec ex aequo ducitur una iugo.
Gloria Lysippo est, animosa effingere signa:
  Exactis Calamis se mihi iactat equis. 10
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles:
  Parrhasius parta vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae:
  At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Iupiter ornat eburno; 15
  Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.

Arg. Eleg. VII. *Alios aliis magis aptos esse: sibi vero Maecenatis moderationem exemplo fore, ne grandia nimis, nisi eo duce, aggrediatur.*

V. 1. *Eques.* C. Cilnium Maecenatem, ex Cilnia gente, unde reges Etruriae, domo Aretinum, equestri ordine Romae contentum fuisse, notum est; ideoque Eques semper dicitur, Horatio praecipue.

V. 8. *Iugo*, pro origine, fonte, quia flumina oriuntur ex montium iugis.

V. 12. *Vindicat.* Parrhasius, Ephesius pictor celebris, sibi deberi locum contendit in arte a se parta. *Primus* enim, ait Plinius loc. cit., *symmetriam picturae dedit, primus argutias, vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus.* Haec est ars, quam Parrhasius peperisse dicitur.

V. 13. *Argumenta*, fabulosa, vel historica, adiuncta formae, scil. operi iam formato, sunt potius Mentoris propria. Mentor caelator insignis, cuius emblemata pateris, crateribus, et id genus vasis adfigebantur, detrahique poterant.

V. 14. *Acanthus*, Ital. *la brancorsina.* Myos caelatura flexuoso opere in acanthi formam elaborata angustum poculorum spatium est, nec longius errat, sed in se reflectitur. Mys eximias caelator in argento minutarum figurarum.

Digitized by Google

Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae,
  Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis.
  Naturae sequimur semina quisque suae. 20
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
  Cogor et exemplis te superare tuis.
Quum tibi Romano dominas in honore secures,
  Et liceat medio ponere iura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes, 25
  Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
  Tempore tam faciles insinuentur opes:
Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras,
  Velorum plenos subtrahis ipse sinus. 30
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
  Iudicia, et venies tu quoque in ora virum.
Caesaris et famae vestigia iuncta tenebis.
  Maecenatis erunt vera tropaea fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina: 35
  Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
  Cadmi, nec semper praelia clade pari:
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis artes,
  Et Danaum undecimo vere cedisse rates, 40
Moenia quum Graio Neptunia pressit aratro
  Victor Palladiae ligneus arcis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
  Et cecinisse modis, Dore poeta, tuis.
Haec curent pueri, haec curent scripta puellae, 45
  Meque deum clament, et mihi sacra ferant.

V. 17. *Est quibus.* Hellenismus in quo verbum singulare iungitur nomini numeri pluralis.

V. 37. *Flebo*, non canam flebili carmine arcem Thebarum a Cadmo conditam, ignibus absumtam, sepultam inter patrios cineres. Nam patria ipsa una cum arce deflagravit, et ab Epigonis, Alcmaeone duce eversa est.

V. 38. *Praelia.* Non canam bellum Thebanum, in quo pari clade et mutuis vulneribus Eteocles et Polynices germani inter se pugnantes corruerunt.

V. 39. *Scaeas*, portam Scaeam, quae fuit Troiae urbis porta.

V. 44. *Et cecinisse*, contingat mihi canere numeris tuis, o poeta Dore, Philetam intelligit. Cos enim insula ex qua erat Philetas pertinebat ad Cariam, quae erat pars Doridis.

Te duce vel Iovis arma canam, caeloque minantem
  Coeum et Phlegraeis Oromedonta iugis:
Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
  Ordiar, et caeso moenia firma Remo: 50
Eductosque pares silvestri ex ubere reges.
  Crescet et ingenium sub tua iussa meum.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes,
  Parthorum astutae tela remissa fugae:
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro, 55
  Antonique graves in sua fata manus.
Mollia tu coeptae fautor cape lora iuventae,
  Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis: et a te est
  Quod ferar in partes ipse fuisse tuas. 60

V. 47. *Te duce.* Maecenatem alloquitur.

V. 48. *Phlegraeis.* Phlegra et Phlegraeus campus duplex, unus in ora maritima Italiae iuxta Cumas, alter in Thessalia de quo hic.

V. 54. *Parthorum*, et canam tela fugae astutae Parthorum, scil. tela recondita fallacium Parthorum fugientium.

V. 55. *Pelusi*, Pelusium urbs Aegypti, paludibus cincta et angustiis viarum, prope oram litoralem maris Mediterranei, apud ostium Nili orientale, quod inde Pelusiacum dicitur. Capto Pelusio patuit Augusto Aegyptus.

ELEGIA VIII.

Mirabar quidnam misissent mane Camoenae,
  Ante meum stantes Sole rubente torum.
Natalis nostri signum misere sodalis,
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti, 5
  Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
  Et Niobae lacrymas supprimat ipse lapis

Arg. Eleg. VIII. *Sodalem edocet, qua ratione suum ipse talem celebret*

V. 5. *Stent*, quiescant in aërea regione.

V. 8. *Niobae.* Niobe Tantali filia, ob septem filios septemque filias nimium superbiens, Latonam eiusque prolem Apollinem et Dianam ausa est parvi pendere. Apollo igitur eiusque soror, matre instigante, universam Niobae sobolem sagittis occiderunt. Ea vero prae doloris magnitudine in saxum obriguit, quod perpetuis manat lacrimis.

Alcyonum positis requiescant ora querelis:
  Increpet absumtum nec sua mater Ityn. 10
Tuque, o care mihi, felicibus edite pennis,
  Surge, et poscentes iusta precare deos.
Inde coronatas ubi thure piaveris aras;
  Luxerit et tota flamma secunda domo:
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat, 15
  Et crocino nares murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
  Sintque procul tota tristia verba domo.
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos:
  Publica vicinae perstrepat aura viae. 20
Annua solvamus Genio solemnia nostro,
  Natalisque tui sic peragamus iter.

V. 9. *Alcyonum*. Alcyones aves marinae queruiae ac solitariae. Alcyone Aeoli filia prae nimio amore Ceycis mariti sui, qui naufragio perierat, se in mare praecipitavit. Iupiter ambos miseratus mutavit in aves sui nominis.

V. 10. *Increpet*, nec Progne, quae Pandionis filia fuit, gemat Ityn interemptum et comesum.

V. 11. *Felicibus pennis*, faustis ominibus.

V. 16. *Onyx*, est vas ex onyche murrhei, scil. flavi coloris continens crocinum unguentum ad ungendum caput, quod grato odore nares perfundat. - Murrha, lapis quidam, ex quo pocula fiebant magni pretii.

V. 17. *Succumbat*, exilis et raucus tibiae sonitus obruatur penitus strepitu saltantium.

ELEGIA IX.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam?
  Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
  Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis avari: 5
  Et quisquis fida praetulit arma domo.
Tu tamen iniecta tectus, vesane, lucerna
  Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
  Haec tua ne virtus fiat amara tibi. 10

Arg. Eleg. IX. *Militantem Postumum duritiae crimine accusat, quod Gallam uxorem, honestate Penelopen ipsam provocantem, relinquere potuerit.*

V. 8. *Araxis*. Armeniae maioris fluvius Araxes

Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
  Ferreus aurato neu cataphractus equo.
Neve aliquid de te flendum referatur in urna
  Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla: 15
  Moribus his alia coniuge dignus eras.
Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
  Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Postumus alter erit miranda coniuge Vlyxes:
  Non illi longae tot nocuere morae: 20
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta
  Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae.
Et Circe fraudes, lotosque, herbaeque tenaces,
  Scyllaque, et alternas scissa Charybdis aquas.
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuvencos, 25
  (Paverat hos Phoebo filia Lampetie.)
Litus et Aeaeae flentis fugisse puellae,
  Totque hiemis noctes, totque natasse dies.
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum:
  Sirenum surdo remige adisse latus. 30

V. 11. *Medae.* Parthicae sagittae.

V. 13. Sensus hic est: ne eques Parthicus ferro munitus gaudeat equo. Postumi aureis ornamentis insigni.

V. 14. *Redeunt*, referuntur qui in acie et peregrina militia periere.

V. 15. *In casta. In* vacat.

V. 20. *Illi.* Vlixi.

V. 21. *Castra*, non nocuit obsidio decem annorum ad Troiam.

» Ciconum. Cum Ciconibus pugnavit Vlixes, eorumque urbem Ismarum, vel Ismaram expugnavit, ad eos post excidium Troiae tempestate delatus cum sociis.

V. 22. *Polypheme.* Polyphemus Cyclopum unus, cui Vlixes consopito praeusta suda unicum oculum eruit.

V. 23. *Circe*, quae suis incantationibus socios Vlixis in sues mutavit.

» *Lotosque* pro *lotique*, herbae tenaces. Tenaces ait, quia si quis illas degustasset, patriae oblivione captus, extorrem se detineri exoptabat.

V. 24. *Scyllaque*, neque Scylla, neque Charybdis, cuius aquae alternis vicibus scinduntur et dividuntur.

V. 25. *Lampeties*, nec Iuvenci Lampeties, qui mugierunt assi in verubus Ithacis, idest, sociorum Ithaci Vlixis. Lampetia filia Solis, patris sui boves in Sicilia custodiebat, quum illuc adnavigavit Vlixes cum sociis. Admonitus Vlixes a Circe, ut ab armentis Solis abstineret, si in patriam incolumis vellet redire, socios adiurare coegit, se Solis boves numquam violaturos. Sed hi iurisiurandi immemores, boves illos occiderunt, verubusque figentes ad ignem versarunt, quorum carnes in verubus mugisse hic dicuntur.

V. 27. *Aeaeae puellae.* Calypsus quae habitavit in Aeaea insula freti Siculi.

V. 30. *Adisse*, praetervectum fuisse latus, scil. oram maritimam Sirenum, sociis ad remos non exaudientibus, quod eorum aures cera obturatae essent.

Digitized by Google

Et veteres arcus . to renovasse procorum,
  Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra; quia casta domi persederat uxor.
  Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.

V. 31. *Veteres*, arcus qui annos viginti inutiles fuerant, in perniciem procorum tetendisse.

V. 34. *Aelia*, notus Aelius Gallus Iurisconsultus.

ELEGIA X.

Certa quidem tantis caussa et manifesta ruinis:
  Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
  Et venit e rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores, 5
  Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Matrona incedit census induta nepotum,
  Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Felix agrestum quondam pacata iuventus,
  Divitiae quorum messis, et arbor erant. 10
Illis pompa fuit decussa cydonia ramo,
  Et dare puniceis plena canistra rubis:
Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
  Lilia virgineos lucida per calathos;
Et portare suis vestitas frondibus uvas, 15
  Aut variam plumae versicoloris avem.
Corniger Idaei vacuam pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oves.

Arg. Eleg. X. *Luxum et auri cupidinem multis exitio fuisse ipsique Romae fore, testatur.*

V. 3. *Inda*. Formicae Indae aurum a cavernis terrae hiberno tempore egerunt, quod postea Indi aestivo surripiunt.

V. 4. *Erycina*. Concha Veneri sacra. Eryx Veneris ex Buta filius apud Siciliae Drepanum matri templum extruxit in monte sibi cognomine, titulo Veneris Erycinae.

V. 5. *Ostrinos*, et Tyros, Cadmi patria, filii Agenoris regis Tyriorum, suppeditat colores purpureos, purpuram.

V. 7. *Incedit*, in publicum prodit, gerens fortunas hominum luxu perditorum.

V. 9. *Agrestum*, scilicet silvicolae iuvenes.

V. 11. *Illis pompa*, mittere moneri mala cydonia, et canistra plena rubicundis moris, quae rubi ferunt.

V. 18. *Idaei pastoris*, Paridis.

Dique, deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
  Praebebant versis verba secunda focis. 20
Et leporem quicumque venis venaberis, hospes,
  Et si forte meo tramite quaeris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato;
  Sive petas calamo praemia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis. 25
  Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura.
  Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
  Dum petit intonsi Pythia regna dei. 30
At mons laurigero concussus vertice diras
  Gallica Parnasus sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
  Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eryphila, lacertos, 35
  Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex:
  Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

V. 20. *Versis*, a praeterito ant. *versi* verbi *verro*. Verrere focum ad religionem pertinebat. In foco Lares.

V. 21. *Et leporem*. Verba Panos, rusticum hominem et probum alloquentis.

V. 29. *Lumina*, genae exustae (quia fulminibus de coelo Galli petiti) arguunt, detestantur sacrilegum Brennum. De thesauris templi Apollinis Delphici videndus Herodotus in Clio. His porro inhiabat Brennus.

V. 30. *Regna*. Delphos, quibus altus Apollo praesidet. Est enim Pytho urbs Phocidis, alio nomine Delphi, a Delphie serpente dicta, cui etiam nomen Python. Hinc et ab urbe et a serpente Pythius Apollo.

V. 31. *Concussus*. Scribit Pausanias, terram, quantum soli Gallorum acies occupaverat, ad multas horas contremuisse; nocte autem insecuta acerrimum eos frigus cum nive plurima vehementer afflixisse; saxa praeterea ingentia, et montis crepidines sponte avulsas in adpetentes milites corruisse, ita ut triceni simul, aut etiam plures ab ingruentibus rupibus collidierentur. Panico terrore et nocturno gelu confectos fuisse amplius decem millia.

V. 33. *Scelus*, scelestus Polymestor Thracum rex, postquam a Priamo magnum auri pondus accepit, in impio hospitio te nutriit, o Polydore.

V. 35. *Eriphyla*. Talai filia, uxor Amphiarai. Haec iudex dissensionum electa inter virum et Adrastum patruum, quum hic vellet Amphiaraum secum ducere ad bellum Thebanum, Ille vero pertinaciter negaret, a patruo monili aureo corrupta, contra virum sententiam iulit. Thebas itaque profectus, subito hiatu terrae vivus in curru ad inferos delapsus.

V. 36. *Dilapsis equis*, curru evanescente.

Certa loquor, sed nulla fides: neque Ilia quondam
Verax Pergameis Phoebas habenda malis. 40
Sola Parin Phrigiae fatum componere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti.
Experta est veros irrita lingua deos.

V. 39-40. *Ilia Phoebas*, Troiana vates a Phoebo afflata. Fatale fuit Cassandrae semper vaticinari, et numquam credi. Verax igitur non est habita Cassandra, quod nec habenda erat, diis et fatis hoc prohibentibus.

V. 41. *Componere*, machinari perniciem Phrygiae Troiae.

V. 43. *Fuit* pro *erat*, vel *fuisset*.

V. 44. *Irrita lingua*, quae frustra vaticinata fuerat.

ELEGIA XI.

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanos animi compescere fluctus
Curarumque tuo fit medicina mero.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis 5
Arcessitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullae, me vigilante, ferae:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes. 10
Quod superest vitae, per te, et tua cornua, vivam,
Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris:
Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum: 15

Arg. Eleg. XI. *Ad solicitudines amovendas, Bacchi opem implorat, cui vineti sationem, et carmen de gestis eius voves.*

V. 3. *Per fervida*, per tempora incalescentia donis tuis.

V. 8. *Ferae*, subaudi caprae.

V. 11. *Cornua*. Bacchus pingebatur cornutus.

V. 13. *Maternos*. Duplices Bacchi partus, materni et paterni. Nam primum Semele fulmine percussa conceptum eiecit: deinde Iovis femori insertum, Iuppiter iterum edidit in lucem.

V. 14. *Nisaeis*, tuis scil. comitibus. Bacchus a Nysa, vel Indiae monte, in quo nutritus fuit, ut Strabo ait, vel urbe, ut alii tradunt; vel si mavis a Nysa urbe iuxta Arabiam, a Nysa nutrice Bacchi ibi sepulta, sic appellata.

V. 15. *Lycurgum*. Lycurgus Thracum rex quum videret, multa per temulentiam contra leges admitti, vites omnes iussit succidi. Ob id a Baccho furore in furorem actus, dum vitem sibi videretur succidere, crura sibi amputavit.

Pontheos in triplices funera grata greges:
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate.
Et tibi per mediam beneolentia flumina Naxon,
(Vnde tuum potant Naxia turba merum:) 20
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Laevis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae: 25
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero iuxta Dea magna Cybebe
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum. 30
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.

V. 16. *Pentheos.* Pentheus rex Thebarum, qui Bacchi orgia irridens, a matre duabusque materteris, aprum se venari putantibus, misere discerptus est. Tres greges, Inus, et Autonoes materterarum, et Agaves matris.

V. 17. *Tyrrhenos*, et Tyrrhenos nautas, qui in panda corpora, scil. in pandos delphines mutati e navi pampinis vestita in mare se praecipites dederunt. Apollodorus lib. III. ait, conduxisse Liberum navim praedatoriam Tyrrhenorum, ut ex Icaria insula Naxon transmitteret, illos relicta Naxo eum voluisse asportare in Asiam, ut venderent, sed furore actos in mare desiluisse, et delphines factos.

V. 19. *Et tibi*, et dicam beneolentia flumina, per mediam tuam Naxon labentia, e quibus incolae Naxi vinum potant a te divinitus profusum, sibi praebitum.

V. 21. *Laxatis corymbis*, hederacea corona a capitis vertice in cervicem defluente; quod signum ebrietatis ultimae. Bacchus, Bassarus, seu Bassareus dictus a genere vestis, qua utebatur, ad talos demissa, quam Thraces *bassaram* vocabant.

V. 22. *Lydia.* Lydi molles ac deliciis dediti: ut et Phrygii, et Syri, et Arabes, aliique mitra utebantur, scil. pileolo quodam in angustum desinente et in interiorem partem incurvo, fascia circumdato, et redimiculis instructo, quibus ligabatur sub mento, ne decideret, viris feminisque communi. Aliis mitra est capitis tegumentum, longa fascia constans obvoluta. Mitram hanc gestabat etiam Bacchus, ut mollis deorumque delicatissimus.

V. 25. *Dircaeae.* Thebae Boeoticae, a Dirce fonte, Dircaeae appellatae.

V. 27. *Cybebe*, Coeli ac Terrae filia Saturni uxor, mater deorum. Colebatur maxime in Phrygia. Vehebatur curru a leonibus tracto, crinemque turrita praecinctum corona gerebat, ad significandas urbes et arces. Sacerdotes currum praecedebant cymbala pulsantes, idest instrumenta ex aere, Corybantes appellati fuerunt et Galli, a Gallo Phrygiae fluvio, qui templo huius deae vicinus erat, vel a Gallo primo sacerdote.

V. 28. *Idaeos*, scil. Gallos.

V. 29. *Crater auro*, scil. ex auro.

V. 30. *Fundens*, subandi erit.

V. 31. *Cothurno*, stilo non humili, graviore scil., qualis tragicorum est.

Tu modo crudeli vacuum me siste dolore
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

ELEGIA XII.

Clausus ab umbroso qua ludit Pontus Averno,
Fumida Baiarum stagna tepentis aquae,
Qua iacet et Troiae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via:
Hic ubi, mortales dextra quum quaereret urbes, 5
Cymbala Thebano concrepuere deo:
At nunc invisae magno cum crimine Baiae,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas;
Errat et in vestro spiritus ille lacu. 10
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, et amplexum Caesaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus. 15
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra iuvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis. 20
Sed tamen huc omnes: huc primus et ultimus ordo.
Est mala; sed cunctis ista terenda via.

Arg. Eleg. XII. *Adolescentis Marcelli mortem deflet, quem, adversus communem hominum opinionem, ait in aquis Baianis submersum.*

V. 4. *Via* munita, strata ab Hercule laborioso.

V. 6. *Thebano*, duo enim numina praecipua Thebanorum, Liber et Hercules.

V. 7. *Invisae*, morte Marcelli.

V. 10. *Errat.* Credebant Veteres, animas eorum, qui in aquis periissent non descendere in Orcum; sed circa ipsas aquas vagari atque oberrare.

V. 12. *Amplexum*, arctissimo scil. vinculo affinitatis cum gente Iulia, et Caesaris domo coniunctum fuisse. Marcello enim nupsit Iulia Caesaris filia. Sponsalia autem ante deos penates celebrabantur, qui colebantur in focis.

V. 13. *Fluitantia*, in theatro tanta spectatorum turba referto, et omnia administrata et tractata manibus matris Octaviae, cui Marcellus aedilitatis suae curam commiserat.

Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
  Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, et aere: 25
  Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
  Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
  Atridae magno quum stetit alter amor. 30
At tibi, nauta, pias hominum qui traiicis umbras,
  Huc animae portent corpus inane tuae.
Qua Siculae victor telluris Claudius, et qua
  Caesar ab humana cessit in astra via.

V. 29. *Hic luctus.* Mors Marcelli omnium Quiritium animos ita percussit, ut iniuria quam Achilles ab Agamemnone accepit, quum hic illi rapuit Briseidem praemium victoriae, Graecos omnes ad Troianam expeditionem profectos dolore ac detrimento affecit. Achilles enim ob id vehementer iratus, a pugnando diutius abstinuit, quo cessante, maximas clades Troiani Graecis intulere.

V. 32. *Animae*, venti.

V. 33. *Qua*, per eam viam, qua M Claudius Marcellus Siciliae victor, et Iulius Caesar ex hominum coetu, domicilio, ex hac mortali vita migravit in coelum. Claudium memorat Poeta, quod Marcellus adolescens ex ea gente natus fuerat; Caesarem, quod in Iuliam familiam adoptatus, et cum ea affinitatis vinculo coniunctus.

ELEGIA XIII.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas
  Vt me atro solvat longa dolore via.
Crescit enim assidue cura, aegrescitque medendo;
  Frangit et interdum fortia corda dolor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari 5
  Possit: at ex omni me premit ille ferus.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
  Remorumque pares ducite sorte vices:
Iungiteque extremo felicia lintea malo:
  Iam liquidum nautis aura secundat iter. 10
Romanae turres, et vos valeatis amici,
  Qualiscumque mihi terra paterna vale.

Arg. Eleg. XIII. *Athenas iturus, ut sibi obstinatam animi aegritudinem depellat studiorum varietate, patriae amicis valedicit.*

Digitized by Google

Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar aequoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus quum fessa Lechaeo 15
Sedarit placida vela phaselus aqua;
Quod superest sufferte pedes, properate laborem
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient me litora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae. 20
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.
Persequar aut studium lingnae, Demosthenis arma
Librorumque tuos, munde Menandre, sales.
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae, 25
Sive ebore exactae, seu magis aere manus.
Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non fractus corda dolore,
Atque erit illa mihi mortis honesta dies. 30

V. 19. *Piraei*. Piraeus et Piraeum, portus Athenarum celebris, quinque millibus passuum ab urbe distans, sed ei coniunctus ope murorum, qui consilio Themistoclis ab eadem urbe ad mare usque ducti fuerunt, quos Poeta *longa brachia* appellat.

V. 20. *Scandam*, transcendam longos muros viae Theseae, scilicet Atheniensis, qua itur Athenas, ubi Theseus regnavit per duplicem murum.

V. 25. *Manus* pro statuis.

V. 28. *Lenibunt*, pro *lenient*.

ELEGIA XIV.

Frigidā tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindymus, et sacrae fabricata iuvenca Cybebae,

Arg. Eleg XIV. *Ad Tullum, qui Cyzicenos vel gubernaverat, vel adhuc gubernabat, Romam et Latium ceteris urbibus ac regionibus longe praestare.*

V. 1. *Cyzicus* urbs Mysiae in Asia, in insula cognomine, duobus pontibus iuncta continenti, ad Propontidem.

V. 2. *Isthmos*, qua fluit Isthmus ex aquis Propontidis, sinus maris mediterranei inter Thraciam et Asiam minorem, duo habens angusta ostia, quorum quod Aegaeo iungitur, Hellespontus, quod Euxino, Bosphorus Thracius vocatur.

V. 3. *Dindymus*. Strabo lib. XII. montem Cyzico imminentem vocat Dindyma, ubi Dindymenae, matris Deum, templum ab Argonautis aedificatum. De Arcto monte Cyziceno exponit Vossius, cuius in medio antrum erat, in quo magnae Matri et Attini sacra faciebant Tauroboli.

» *Iuvenca*, et sculpta iuvenca in antro sacro Cybebae.

Raptorisque tulit qua via Ditis equos.
Si te forte iuvant Helles Athamantidos urbes, 5
Nec desiderio, Tulle, movere meo:
Tu licet aspicias caelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula, et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique, Hesperidumque choros: 10
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasim,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae:
Et si qua Gygaei visenda est ora Caystri, 15

V. 4. *Qua via*, et qua via duxit equos Plutonis Proserpinae raptoris.

V. 5. *Iuvant*, delectant urbes Helles Athamantis Thebarum regis filiae, scil. Hellesponti.

V. 7. *Atlanta*. Atlas, Mauritaniae mons altissimus, cuius humeris caelum impositum fabulati sunt poetae. In hunc montem conversum tradunt Atlantem Mauritaniae regem, qui primus cursum Solis et Lunae siderumque omnium deprehendit. Aiunt enim Perseum quod se ab Atlante, ad quem devicta Medusa venerat, reiectum indigne ferret, ei Gorgonis caput ostendisse, et in montem mutasse.

V. 8. *Sectaque*. Medusa Phorci filia, una ex Gorgonibus, cui quum capilloa irata Pallas in taeterrimos angues mutasset, vim pessimam indidit, ut quicumque in eam oculos dirigeret, protinus lapidesceret. At Perseus armis deorum instructus, monstrum obtruncavit; ex cuius capitis cruore Pegasus alatus equus emersit.

V. 9. *Stabula*, armenta. Geryon, is sive Geryones, ae, Gadibus insula Hispaniae regnavit; ab Hercule occisus, qui eius boves mira pulchritudine abegit. Tricorporim fuisse fabulati sunt poetae, vel quod tribus insulis praefuit, Balearicae maiori, et minori, et Ebusae; vel quod tres fratres fuerunt tantae concordiae, ut animo uno regi viderentur.

» *Signa*, vestigia pulveri, arenae impressa ab Hercule et Antaeo luctantibus.

V. 10. *Antaeum*. Libicus gigas, terrae filius quem poetae fabulati sunt, quoties humi procubuisset, ex tactu matris novis viribus auctum fuisse. Cum eo luctatus Hercules, ne ad solitum auxilium cadendo confugeret, inter brachia suspensum elisis faucibus interemit.

» *Hesperides*, tres filiae Hesperi fratris Atlantis, Aegle, Arethusa, Hesperethusa, amoenissimos hortos possidere dicebantur in Africa, in quibus erat auriferum nemus cum aureis malis, quae a pervigili dracone custodiebantur. Hercules tamen eo penetravit iussu Eurystei: et interfecto dracone, aurea mala ad regem attulit.

V. 11. *Colchum*, et licet Colchicum Phasim remis tuis pulses, ac totum iter, cursum conficias navis Argus, ex arboribus Pelii montis constructae. Phasis, Colchidos magnus fluvius.

V. 13. *Rudis*, qua pinus nondum navigationi assueta, redacta in formam novae navis labi, ferri conspecta fuit inter scopulos, duce columba Argonautis data. Phineus, Paphlagonum rex, Iasonem monuerat, ne navis inter concurrentes Symplegadas elideretur, ut columbam, quam ipsi dederat, praemitteret, atque eius volatum sequeretur.

V. 15. *Caystri*. Caystrus, Lydiae, seu Moeoniae in Asia minore fluvius, qui per Lydiam labitur, ac prope Ephesum in sinum Ionium influit. Dicitur Gygaeus a Gyge Lydorum rege.

Et qua septenas temperat unda vias:
Omnia Romanae cedent miracula terrae,
Natura hic posuit quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae,
Famam, Roma, tuae non pudet historiae. 20
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Vmbro
Tramite, et aeternum Marcius humor opus.
Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda, 25
Potaque Pollucis nympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec furit unda novis.
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes. 30
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo.
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae,

V. 16. *Septenas*. De Nilo dictum intelligas, cuius septem ostiis nihil celebrius.

V. 25. *Albanusque*. Lacus in Albano nemore prope Albam Longam.

» *Nemorensis*. Lacum hunc Albani socium vocat, vel quia ab eisdem fontibus oriri putabatur, vel quia non longe abest.

V. 26. *Pollucis*. Iuturna fons, cuius aquam bibit Cyllarus equus Pollucis vel Castoris.

» *Nympha*, recte pro lympha. Tribuit Propertius Polluci, quod Castoris proprium est. Pollux enim pugil, Castor vero eques.

V. 28. *Itala*, nec mare quod supra et infra Italiam alluit, agitatur iunsitatis monstris.

V. 29. *Pro matre*, hic non tinuiunt catenae Andromedae, quae matri debebantur, ob superbiam matris. Nam quia Cassiope uxor Cephei, mater Andromedae, se Nereidas forma antecellere gloriabatur, Nymphae scopulo filiam alligarunt, et ceto devorandam exposuerunt. Sed Perseus illac opportune iter faciens, occiso monstro, eam liberavit et in uxorem duxit.

V. 30. *Tremis*, nec tu, o Phoebe, fugatus, indignatus horres Italicas epulas; nec ab instituto cursu retrocedis horrens Ausonias epulas, quemadmodum horruisti Thracias et Mycenaeas, quum Thyestu Atreus frater, Tereo Thraciae regi coniux Progne, proprios filios comedendos apposuerunt. Italorum enim mensae humanis carnibus non instruuntur. Fingunt Poetae, Solem, ne Thyesteam caenam spectaret, retrocessisse.

V. 31. *Cuiquam*. De Meleagri fato id intelligendum. Meleagro recenter nato, mater Althea visa sibi est tres Parcas igni assidentes videre manuque stipitem tenentes, aequalem puero cum stipite vitam assignare. Quare Althea extinctum stipitem diligentissime asservavit. Quum vero nuntiatum esset a Meleagro iam adulto avunculos suos interfectos, illa ob fratrum mortem doloris impatiens fatalem illum stipitem in ignem coniecit, quo exusto, Meleager etiam absens consumtus est.

V. 33. *Penthea*, crudeles et infestae

Nec solvit Danaas subdita cerva rates.
Cornua nec valuit curvare in pellice Iuno, 35
Aut faciem turpi dedecorare bove:
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes:
Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, et venturae coniugis aptus amor. 40

Maenades, mater Agave, et matris duae sorores Ino et Autonoë non sectantur et captum lacerant Penthea, quasi aprum.

V. 31. *Solvit*, naves e portu. De cerva Iphigeniae loco ad sacrificium supposita accipias.

V. 35. *Curvare*, formare cornua recurva in fronte. Io, Inachi fluminis filia, a Iove in iuvencam Iunonis caussa conversa.

V. 37. *Haec*, scil. urbs Roma.

ELEGIA XV.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas iussit habere fidem.
Non illas fixum caras effecerat aurum 5
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.
Me miserum! his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter ephemeridas. 10
Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, et citus haec aliqua propone columna,
Et dominum Exquiliis scribe habitare tuum.

Arg. Eleg. XV. *Tabellarum, quibus arcana ipse sua committere consueverat iacturam dolet.*

V. 5. *Fixum*, lamellae aureae affixae.

V. 6. *Vulgari*, in communi, buxo erat illita vilis, decolor cera.

V. 10. *Duras*, nempe saevas, quis foenore trucidamur. In Ephemeridas enim expensa et accepta referebantur

SEX. AVR. PROPERTII

VMBRI

LIBER IV.

ELEGIA I.

Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est
  Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit.
Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
  Evandri profugae concubuere boves.
Fictilibus crevere deis haec aurea templa: 5
  Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
  Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
  Vnus erat fratrum maxima regna focus. 10
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
  Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
  Centum illi in prato saepe senatus erant.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro: 15
  Pulpita solemnes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
  Quum tremeret patrio pendula turba sacro.

Arg. Eleg. I. *Fingit, se, dum originem atque incrementum rerum Romanarum carmine persequi vellet, admonitum a quodam Babylonio astrorum perito, ut intra gyrum ingenii sui consistens, Elegos tantum luderet.*

V. 3. *Navali*, ob navalem ad Actium victoriam.

V. 7. *Pater*. Iupiter arcis Tarpeiae praeses. Iovi tonanti aedem in Capitolio dedicavit Augustus.

V. 8. *Advena*. Adeo exiguis finibus priscorum Quiritium ditio continebatur, ut Tiberis extra Romanum territorium fluceret.

V. 9. *Domus Remi*. Roma, ubi Remo cum fratre Quirinus habitavit.

V. 11. *Praetexto*. Alia erat puerilis, et puellaris praetexta, quam adolescentes, et nuptae mulieres deponebant. alia Senatorum et Consulum propria.

Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,
  Qualia nunc curto lustra novantur equo. 20
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis;
  Ducebant macrae vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci:
  Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator, 25
  Vnde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
  Miscebant usta proelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lucmo:
  Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves. 30
Hinc Tities, Ramnesque viri, Luceresque coloni:
  Quatuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
  Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii;
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata, 35
  Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.

V. 19. *Annuaque*, et nulli tunc erat curae tam magnifice celebrare Palilia, structo igne ex foeno, per quem saltarent, quam magnifice nostro saeculo renovantur lustra equo cauda mutilo. Nam in sacrificiis lustris quinquennalibus lustratio fiebat cum sanguine equinae caudae, quae decurtabatur, sicut in Paliliorum sacrificiis, in quibus erat etiam suffimen sanguis equinus.

V. 21. *Pauper*, in sacris deae Vestae asselli panibus coronabantur.

V. 23. *Lupercus*. Luperci Panis sacerdotes per licentiam quamdam nudi discurrentes obvios quosque senticis et loris ferire solebant. Fabii, sive Fabiani et Quintiliani dicebantur a Fabio et Quintilio, Lupercorum praepositis, quorum hic Romuli, ille Remi partium erat.

V. 29. *Galeritus*, Lucumo lupino galero rustice tectus fixit prima tabernacula, in quibus imperator esset in castris. Omnem magistratum, cui pareret exercitus, praetorem appellarunt, unde et praetorium tabernaculum eius dixerunt. Lucumo in auxilium Romuli venit adversus Tatium.

V. 31. Tres antiquae tribus a Romulo primum institutae, confecto deinde cum Sabinis bello auctae; quarum prima, in eam coniectis Sabinis omnibus, *Titiensium*: altera, in quam priores Romanae urbis incolae collati, *Ramnensium*; tertia quae reliquos novos advenas exceperit, *Lucerum* dicta fuit.

V. 32. *Romulus*, hinc Romulus curru quatuor equis albis invectus triumphavit de Coeninensibus.

V. 33. *Parva urbe*, quum Roma parva esset, Bovillae siquidem erant minus proximae; postea vero, aucta urbis magnitudine, mocnibus Romanis propiores esse coeperunt, et suburbanae magis.

» *Bovillae*, vicus ad undecimum lapidem Appiae viae.

V. 34. *Nunc nulli*, quorum nunc vix extat vestigium, erant oppidum maxime frequens.

» *Gabii*, urbs olim Latii, in via Praenestina, media inter Romam ad Occ. et Praeneste ad Or. ad XII. M.P.

V. 36. *Fidenae*, oppidum Latii, nunc vicus Sabinae provinciae, ad Tiberim.

Digitized by Google

Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus:
  Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troia, Penates:
  O quali ducta est Dardana puppis ave! 40
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
  Laeserat abiegni venter apertus equi;
Quum pater in gnati trepidus cervice pependit,
  Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci, Brutique secures, 45
  Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Troiae,
  Felix terra tuos cepit, Iule, deos.
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
  Dixit Aventino rura pianda Remo: 50
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
  Longaevum ad Priami vera fuere caput;
« Vertite equum, Danai: male vincitis: Ilia tellus
  Vivet, et huic cineri Iupiter arma dabit. »
Optima nutricum nostris Lupa Martia rebus, 55
  Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio conor describere versu,
  Hei mihi, quod nostro parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
  Fluxerit, hoc patriae serviat omne meae. 60
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
  Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.
Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
  Vmbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces, 65

V. 40. *Quali ave*, o quam dextro, fausto auspicio.

V. 46. *Venus*, quia duce Venere Aeneas, et Iulus in Italiam venere, unde Iulia gens.

V. 47. *Resurgentis*, o Iule, qui huc portasti arma Troiae, quae in fatis erat ut resurgeret, arma, inquam, olim victricia futura, felix haec terra, diis cara Italia excepit hospitio Penates tuos.

V. 49. *Avernalis*, habitationem Sibillae designat. Avernus autem lacus Cumia vicinus est.

V. 50. *Rura*. Remurinum agrum, vel eum locum, ubi caesus est.

V. 55. *Vertite*. Verba Cassandrae ad Graecos.

V. 55. *Martia*, quia lupi in tutela Martis esse dicebantur.

V. 65. *Scandentes*, si quis spectabit urbem meam patriam (*Hispellum putant*) ad clivum positam paulatim assurgere, is aestimet eam ob ingenium meum.

Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus: date candida cives
Omina, et inceptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, et cognomina prisca locorum
Has meus ad metas sudet oportet equus. 70
Dicam, Troia cades, et, Troia Roma resurges,
Et maris et terrae longa sepulcra canam.
Quo ruis imprudens vaga dicere facta Properti?
Non sunt ah dextra condita fila colo.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo 75
Poscitur invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus; aut ego vates
Nescius aerata signa movere pila.
Me creat Architae soboles Babylonius Horos,
Horos, et a proavo ducta conone domus. 80
Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquos;
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro
Iupiter: obliquae signa iterata rotae;
Felicesque Iovis stellas, Martisque rapacis, 85
Et grave Saturni sidus in omne caput.
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua.
Dixi ego, quum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante Deo.) 90

V. 73. *Quo ruis.* Mathematicus ille Babylonius, ad quem huc usque loquutus est Propertius orationem Poetae interrumpit, et ab audendo maiora viribus dehortatur.

V. 74. *Condita*, fila tuae telae consecta, deducta non sunt a felici colo.

V. 78. *Pila*, sphaera ex aere, quia rotunda pilae instar. Atlas sphaerae inventor.

V. 79. *Creat.* Horus, insignis Astrologi nomen, professione Babylonius, filius, vel nepos, vel pronepos Archytae Tarentini.

V. 83. *Fecere*, nunc Astrologi quaestuosos fecerunt deos, idest aspectus siderum.

V. 83. *Fallitur*, et pecunia corrupti, simulant Iovem, felicissimum planetarum, dominum esse genituraei horoscopum pro arbitrio mutant, et ita consulunt rationibus suis.

V. 84. *Signa*, subaudi, *falluntur*, vel et illa Astrologi *pretium fecere*. Zodiaci autem signa fortasse vocat *iterata*, quod sex ad Boream, sex ad Austrum vergunt; vel *iterata*, saepius decursa signa Zodiaci, quae saepius currus Solis percurrit obliquo tramite.

V. 87. *Moveant*, quid moliantur.

V. 89. *Arria*, nomen cuiusdam Matronae Romanae cuius filiorum funera praedixerat astrologus.

Non posse ad patrios sua pila referre Penates,
  Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
  Heu sibi prolapso non bene cavit equo.
Gallus at in castris dum credita signa tuetur, 95
  Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae,
  Vera, sed invito, contigit ista fides.
Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum,
  Aut sibi commissos fibra locuta deos. 100
Aut si quis motas cornicis senserit alas:
  Vmbra neque haec magicis mortua prodit aquis.
Adspicienda via est caeli, versusque per astra
  Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit 105
  Ille bene haerentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
  Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
  Supprime, et Euboicos respice, Troia, sinus. 110
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
  Et natat exuviis Graecia pressa tuis.
Victor Oilide, rape nunc, et dilige Vatem,
  Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiae: nunc ad tua devehor astra: 115
  Incipe tu dictis aequus adesse novis.

V. 91. *Pila*. Reduces arma sua figebant ad deorum postes.

V. 97. *Fatales*, infelices.

V. 99. *Explicat*, hoc, huiusmodi res neque aperit oraculum Iovis Ammonis in Arenosa Lybia, nec fibrae, quae deorum voluntatem sibi commissam, quam in se impressam habent, enuntiant.

V. 104. *Trames*, Zodiacus.

V. 105. *Exemplum*, testis locupletissimus Calchas haruspicinam esse mendacem.

» *Aulide*. Euboico portu.

V. 107. *Agamemnoniae*, idem iussit imbui cruore in collo Iphigeniae, Agamemnonis filiae cultros.

V. 108. *Atrides*, maior scil.; Menelaus enim, Agamemnonis frater, Atrides minor. Ambo Atrei filii, seu potius nepotes ex Plisthene.

V. 110. *Euboicos*. Ibi classis Graecorum, a Troia revertens, naufragium fecit.

V. 111. *Vltores*. Nauplius ulciscendi filii caussa noctu lumen procul ostendit, et Graeci onere oppressi apoliorum tuorum, naufragium faciunt.

V. 115. *Oilide*. Aiax, Oilei filius, ob raptam Cassandram, et abstractam a templo Minervae, dum in patriam redit, fulmine ictus violato numini poenas persolvit.

Vmbria te notis antiqua penatibus edit.
  Mentior? an patriae tangitur ora tuae?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
  Et lacus aestivis intepet Vmbor aquis, 120
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
  Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa aetate legenda
  Patris, et in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua quum multi versarent rura iuvenci, 125
  Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
  Matris et ante deos libera sumta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
  Et vetat insano verba tonare foro. 130
At tu finge elegos fallax opus: haec tua castra:
  Scribat ut exemplo cetera turba tuo.

V. 119. Mevania urbs Vmbriae sita ad Viam Flaminiam.

V. 121. *Vertice*, et in lugo clivi assurgentis attollitur murus.

V. 126. *Pertica*, funesta decempeda ademit tibi excultos agros. Fortasse ademtos fuisse Propertio agros significat in proscriptione Syllana.

V. 127. *Bulla*. Per *bullam auream* ordinis sui conditionem exprimit. Ea enim fuit puerorum ingenuorum quorum patres equo stipendia iusta meruissent. Propertius noster videtur fuisse equestris ordinis.

ELEGIA II.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
  Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego, Tuscis orior: nec poenitet inter
  Praelia Volsinios deseruisse focos.
Haec me turba iuvat: nec templo laetor eburno: 5
  Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
  Remorum auditos per vada pulsa sonos.

Arg. Eleg. II. *Vertumnus, antiquissimus Tuscorum deus falsis aliorum opinionibus refutatis, veram sui nominis originem ipse prodit.*

V. 4. *Praelia*. Latini cum Etruscis conflixere iam inde ab adventu Aeneae nec semel Etrusci succubuere.

V. 5. *Turba*, frequentia populi Romani.

At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
  Vertumnus verso dicor ab amne deus. 10
Seu quia vertentis fructum praecepimus anni,
  Vertumni rursus creditur esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
  Fit coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna 15
  Cernis, et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
  Quum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces: alius mihi nominis index:
  De se narranti tu modo crede deo. 20
Opportuna mea est cunctis natura figuris:
  In quamcumque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois: fiam formosa puella:
  Atque virum sumta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi comprime foeno, 25
  Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis:
  Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites: at quum est imposta corona,
  Clamabis capiti vina subisse meo. 30
Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi;
  Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor: sed arundine sumta
  Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius 35
  Traiicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo praedabor; et ibo
  Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
  Sirpiculis medio pulvere ferre rosam. 40

V. 9. *Concessit*, tantum tribuit, ut eorum caussa verterel iter.

V. 10. *Verso*, ab amnis cursu mutato.

V. 13. *Variat*, neutrorum more sine casu. Mihi prima uva nigrescit, varial faciem in racemis maturescentibus

V. 36. *Traiicit*, desultor significatur, qui de equo in equum transiliebat.

V. 37. *Suppetat*, dummodo copia sit.

V. 39. *Ad baculum*. Turnebus exponit: si mihi pedum detur, pastor videri possim.

Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima cura est,
  Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
  Me notat, et iunco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter 45
  Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
  Nomen ab eventu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
  Vnde hodie vicus nomina Tuscus habet. 50
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
  Atque Sabina feri contudit arma Tati:
Vidi ego labentes acies, et tela caduca,
  Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias divûm sator, ut Romana per aevum 55
  Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
  Non moror: haec spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
  Ante Numam grata pauper in urbe deus. 60
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
  Tellus artifices ne terat Osca manus:
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
  Vnum opus est, operi non datur unus honos.

ELEGIA III.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
  Quum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
  Haec erit e lacrimis facta litura meis.
Aut si qua incerto fallet te litera tractu, 5
  Signa meae dextrae iam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,

Arg. Eleg. III. *Arethusa marito Lycotae militanti moestitiam suam, desiderium, solitudinem, fidem, industriam, vota pro eius reditu suscepta, elegantissime ostendit.*

V. 7. *Iteratos*, te modo Bactriani viderunt per orientis regiones iterum peragratae.

Te modo munito Sericus hostis equo;
Hibernique Getae; pictoque Britannia curru;
Vstus et Eoo decolor Indus equo. 10
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est: nupsi non comitante deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota, 15
Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas:
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno:
Aeternusque tuam pascat, aselle, famem. 20
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Diceris et macie vultum tenuasse, sed opto
E desiderio sit color ille meo.
At mihi quum noctes induxit vesper amaras, 25
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror, in toto non sidere pallia lecto,
Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera ducta suos. 30

V. 9. *Getae* Scytiae populi, qui ad Pontum Euxinum in Orientem vergunt.

» *Curru*, esseda, Britannorum vehicula significat; haec caelaturis ornare solebant, pingebantque Britanni, et ex his in praeliis pugnabant.

V. 11. *Deductae*, fax illa, quae mihi, quum domum tuam deducerer, ominis caussa praeluxit, illa concepit stram flammam a rogo everso.

V. 13. *Lacu*. Tria hic infelicium nuptiarum omina ponit: primum quum ait: *Stygio sum sparsa lacu:* aqua tristi et infelici Stygiae paludis. Spargebantur vero, aut abluebantur sacra facturi. At haec erant sacra marita, quibus aqua et ignis adhibebantur. Alterum dirum omen, quum ait: *Nec recta capillis vitta*. Erant aliae virginum, aliae nuptarum vittae. Discrimen quod virginum vittae quodammodo iacentes et residentes erant, nuptae autem rectas gestabant. Tertium dirum omen: *Nupsi non comitante deo*, non deducente me Hymenaeo.

V. 16. *Lacerna*, pallium fimbristum quo milites utebantur.

V. 19. *Dignior*, id est, magis commeruit eam poenam, quam Ocnus.

» Ocnus fuit gnavus et industrius homo, qui uxorem sumtuosam et prodigam habebat: quae quidquid ille opere faciundo per summum laborem quaeritasset, profundere solita esset. Funem igitur Ocni torquere, est irritum laborem sumere.

V. 27. Dicuntur galli *auctores lucis*, quia cantu suo lucem praenuntiant.

Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
  Qualis et haec docti sit positura dei.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
  Quot sine aqua Parthus millia currat eques.
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu, 35
  Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet una soror curis; et callida nutrix
  Deierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
  Et texit galea barbara molle caput. 40
Romanis utinam patuissent castra puellis:
  Essem militiae sarcina fida tuae.
Nec me tardarent Scythiae iuga, quum pater altas
  Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris, 45
  Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Omnia surda tacent: raris assueta Kalendis
  Vix aperit clausos una puella Lares.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
  Illa tui partem vindicat una tori. 50
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
  Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
  Seu voluit tangi parca lucerna mero:
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis, 55
  Succinctique caleut ad nova lucra popae.

V. 31. *Mundos*; est enallage numerorum, pro *mundum pictum*. Geographiae studere, situs regionum cognoscere.

V. 32. *Qualis dei*. Quis deus doctus, sapiens, dedit hanc posituram, dispositionem mundo.

V. 35. *Tellus*, quae regio propter frigus sit tarda ad fruges producendas.

V. 39. *Felix*. Hyppolite, Martis et Otrirae reginae filia, victa ab Hercule, cui balteum ademerat.

V. 45. *Nam mihi quo*, quid enim mihi prodest, quod longe lateque splendorem emittat purpura Afris, vel Getulis muricibus tincta, et crystallus nitida, velut aqua pellucens ornet manus meas, si interea carere te cogor? Crystallus est anulus, cui berylus, vel adamas, vel alia gemma crystallo similis fuerit inserta.

V. 48. *Vna*, una ancillula usu edocta vix aperit armarium, quo Lares clauduntur Kalendis, quae raro adveniunt. Solebant Romani festis diebus imagines malorum apertis armariis exornare. Locus ubi condebantur Larium simulacra, Lararium, vel Sacrarium dicebatur.

V. 54. *Mero*. Vino excitari languentem flammam putabant Veteres et inde omen capiebant.

Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,
  Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum tortae sparguntur pondera fundae,
  Subdolus et versis increpat arcus equis. 60
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
  Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserva foedera lecti.
  Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque quum tulero portae votiva Capenae, 65
  Subscribam: SALVO . GRATA . PVELLA . VIRO.

V. 57. *Tanti sit*, ne stet tam magno, ut primus muros Bactrianorum adscendas et muralem inde petas coronam.

V. 58. *Raptave*, nec carbasea lina, vestes lini tenuissimi, detractae duci Arabum, apud quem multi odores gignuntur.

V. 60. *Versis* et conversis in simulatam fugam equis, crepat, sonat arcus subdoli, astuti Parthi.

V. 61. *Sic*, est precantis et optantis. *Tua hasta pura*, sic devictis, subactis incolis Parthicae terrae, tu hastam sine ferro gerens sequaris currum triumphalem, triumphantis ducis. Hasta *pura*, qua viri fortes et in praelio victores donabantur, erat hasta sine ferro.

ELEGIA IV.

Tarpeium nemus, et Tarpeiae turpe sepulcrum
  Fabor, et antiqui limina capta Iovis.
Lucus erat felix hederoso consitus antro,
  Multaque nativis obstrepit arbor aquis:
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu 5
  Fistula poturas ire iubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
  Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
  Quum quateret lento murmure saxa Iovis? 10
Atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
  Stabant Romano pila Sabina foro.

ARG. ELEG. IV. *Tarpeiae virginis Vestalis historiam narrat, quae ut Tatii Sabinorum regis coniugio potiretur, arcem Capitolinam festis Palilibus indefensam pacta est illi tradere; qua occupata Tatius iussit proditricem occidi.*

V. 9. *Tubicen*, quum Tubicen Curetis, idest Curetum, seu Sabinorum gravi sono tubae pulsabat vicinam rupem Iovis, scil. Tarpeiam.

V. 9. *Vicina*, propinqua enim erant castra Tarpeio monti in colle qui postea Quirinalis dictus a Sabinis qui Curibus venerant.

Murus erant montes: ubi nunc est curia septa:
  Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia deae fontem libavit: at illi 15
  Vrgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
  Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
  Pictaque per flavas arma levare iubas. 20
Obstupuit regis facie, et regalibus armis,
  Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa immeritae caussata est omina Lunae:
  Et sibi tinguendas dixit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis, 25
  Romula ne faciem laederet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
  Retulit hirsutis brachia secta rubis.
Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
  Vulnera, vicino non patienda Iovi: 30
Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae,
  Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
  Dum captiva mei conspicer esse Tati.
Romani montes, et montibus addita Roma, 35
  Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
  Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes,
  Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis. 40
Cras ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
  Tu cave spinosi rorida terga iugi.
Lubrica tota via est, et perfida: quippe tacentes
  Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae! 45
  Haec quoque formoso lingua tulisset opem.

V. 13. *Murus*, asperum Tarpeiae saxum erat loco murorum.

V. 20. *Per flavas*, tollere, vibrare inter flavas lubas, equi arma picta, versicolorla, galeam, loricam, parmam, hastam.

V. 37. *Crimen*, quantum dedecus allatura sum Romanis virginibus.

V. 42. *Cave*, tu, Tati.

Te toga picta decet: non quem sine matris honore
  Nutrit inhumanae dura papilla lupae.
Sic hospes, pariamne tua regina sub aula,
  Dos tibi non humilis prodita Roma venit. 50
Sin minus; at raptae ne sint impune Sabinae,
  Me rape, et alterna lege rependo vices.
Commissas acies ego possum solvere: nuptae,
  Vos medium palla foedus inite mea. 55
Adde Hymenaee modos: tubicen fera murmura conde:
  Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et iam quarta canit venturam buccina lucem:
  Ipsaque in oceanum sidera lassa cadunt.
Experiar somnum: de te mihi somnia quaeram:
  Fac venias oculis umbra benigna meis. 60
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
  Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae
  Culpam alit, et plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta 65
  Strymonis abscissos fertur aperta sinus.
Vrbi festus erat, dixere Palilia patres.
  Hic primus coepit moenibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
  Quum pagana madent fercula deliciis. 70
Quumque super raros foeni flammantis acervos
  Traiicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
  Atque intermissa castra silere tuba.

V. 47. *Non quem*, scilicet Romulum, quem cum matris Iliae dedecore et probro nutrierunt ferina ubera saevae lupae.

V. 49. *Sic hospes*, sic, sive ut hospes et captiva, sive ut regina et mater familias faciam te parentem in tua regia, non parva dos tibi datur, prodita scil. Roma.

V. 54. *Palla mea*, meo coniugio cum Tatio. Nam *pallam* solebant muneri mittere novae sponsae apud Veteres.

V. 57. *Quarta*. Nox in quatuor vigilias castrenses dividebatur, singulas ternarum horarum, quae tuba vel buccina distinguebantur.

V. 65. *Tutela*. Vesta quae propitia tuetur ac servat reliquias Troiae.

V. 65. *Thermodonta*. Thraciae fluvium.

V. 66. *Strymonis*, patronymicum est a Strymone fluvio Thraciae, et hic pro Bacchante ponitur, quod Bacchantes prope hunc fluvium Bacchi sacra celebrantes discurrerent.

Digitized by Google

Hoc Tarpeia suum tempus rata, convenit hostem, 75
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius festoque remissus.
Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos; sed Iupiter unus
Decrevit poenis invigilare suis. 80
Prodiderat portaeque fidem, patriamque iacentem:
Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube, ait, et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis; 85
Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpeia mons est cognomen adeptus.
O vigil, iniustae praemia sortis habes.

V. 77. *Remissas*, cuius ob festum remissior et negligentior erat custodia.

V. 88. *O vigil*, scilicet *Tarpeia*.

ELEGIA V.

Sacra facit vates, sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta iuvenca focos.
Serta Philetaeis certent Romana corymbis,
Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date, et blandi mihi thuris honores; 5
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio sint aëre noxae:
Pura novum vati laurea mollit iter. 10
Musa, Palatini reseramus Apollinis aedem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.

Arg. Eleg. V. *Sacrum, et solemnes epulas instituit pro Actiaca victoria, quam Augustus Caesar de M. Antonio, et Cleopatra retulerat; eamque Phoebi auspiciis totam adscribit.*

V. 3. *Certent*, versus Romani certent cum versibus Philetae, et urna mihi praebeat ad sacra facienda aquas quas bibit, vel quibus Musis sacra fecit Callimachus Cyrenaeus.

V. 6. *Laneus orbis*, vitta lanea.

V. 7.-8. *Libet carmen*, canat in honorem deorum.

V. 8. *Tibia*, et eburnea tibia e Cadis Mygdoniis, id est, Phrygia tibia (nam Cadi, orum, urbs Mygdoniae, seu Phrygiae).

Digitized by Google

Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur, quaeso, Iupiter, ipse vaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus, 15
Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Iulaeae pelagus monumenta carinae,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus: stetit aequore moles
Pinea, nec remis aequa favebat avis. 20
Altera classis erat tenero damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter acta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Iovis omine velis,
Signaque iam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus: 25
Armorum radiis picta tremebat aqua.
Quum Phoebus linquens stantem se vindice Delon
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Adstitit Augusti puppim super: et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem. 30
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineae carmen inerme lyrae:
Sed quali adspexit Pelopeium Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes 35
Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.

V. 15. *Fugiens*, in secessu ad Litora Epiri.

» *Athamana*. Epirotica.

V. 17. *Actia*, hypallage, pro Actium pelagus.

V. 18. *Non operosa*, quae nautarum vota non exposcit; adeo tranquillum ibi mare.

V. 20. *Aequa avis*, nec auspicia erant aeque fausta utrique classi.

V. 21. *Damnata*, addicta erat, effeminato Quirino sc. Antonio.

» *Quirino*. Vsitatum est apud Latinos homines degeneres, aut publico inutiles, aut generi suo ignominiosos celebri aliquo viri clari ac fortis nomine traducere.

V. 23. *Iovis*, Iuppiter ventus est.

V. 27. *Stantem*, redditam immotam operi suo, se velut assertore.

V. 28. *Mobilis*. Delos insula maris Aegei una Cycladum, Apolliui et Dianae natalibus clarissima. Hanc fabulati sunt poetae mobilem prius fuisse, donec ab alumno Apolline stabiliretur, qui oraculum ibi celeberrimum habuit.

V. 34. *Egessit*, exhausit Graecorum exercitum crebris funeribus. Sagittis Apollo, seu pestilentia plurimos Achivorum interfecit, quod Chrysen Sacerdotem eius contumeliis affecissent, quum is ut Astinomen filiam suam a Graecis captam redimeret, ad Agamemnonem ingentibus donis accessit, neque tamen impetravit.

V. 35. *Solvit*, vel qualis configens sagittis Pythonem serpentem, explicuit tortos illius nexus.

V. 36. *Lyrae*, quem timuere Musae imbelles.

Mox ait, o longa mundi servator ab Alba
  Auguste, Hectoreis cognite maior avis:
Vince mari, iam terra tua est: tibi militat arcus,
  Et favet ex humeris hoc onus omne meis. 40
Solve metu patriam, quae te nunc vindice freta
  Imposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
  Ire palatinas non bene vidit aves.
En! nimium remis audent! proh turpe, Latinos 45
  Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
  Terreat; invito labitur illa mari,
Quodque vehunt prorae Centauros saxa minantes:
  Tigna cava, et pictos experiere metus. 50
Frangit, et attollit vires in milite caussa:
  Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.
Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
  Ducam laurigera Iulia rostra manu.
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus: 55
  Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi; dat femina poenas;
  Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Caesar ab astro,
  Sum deus: en nostri sanguinis ista fides. 60
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
  Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
  Hoc unum, iusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus, 65
  Ductus erat per quas ante Iugurtha vias!

V. 45. *Proh*, turpe est Romano mari ferre regia vela Cleopatrae.

V. 59. *Pater*, C. Iulius Caesar dictator, Octaviani avunculus natura, pater adoptione.

» *Idalio*, Dionaeo, Venerio. Caesar enim a Venere originem ducebat. Alludit ad Historiam. Quum enim post obitum Caesaris dictatoris ipsis ludorum funebrium diebus sidus crinitum per septem dies apparuisset, credidit vulgus eo sidere significari, Caesaris animam inter deorum immortalium numina receptam.

V. 64. *Hoc unum*, tantum defuit, Augusti triumpho: et in hac una re fortis Cleopatra, quod sibi necem conscivit.

» *Moritura*, Moritur die iusso captivus qui tum iubetur mori quum victori libet.

Digitized by Google

Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
  Vna decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
  Victor, et ad placidos exuit arma choros. 70
Candida nunc molli subeant convivia luco,
  Blanditaeque fluant per mea colla rosae.
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
  Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis. 75
  Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros,
  Cepheam hic Meroën, fuscaque regna canat
Hic referat sero confessum foedere Parthum:
  Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua. 80
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
  Differat in pueros ista tropaea suos,
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
  Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec 85
  Iniiciat radios in mea vina dies.

V. 74. *Spica Cilissa*, unguentum ex croco, cuius feracissima Cilicia est.

V. 76. *Fertilis*, ingenii fecunditatem impertiri soles tuo Apollini.

V. 77. *Ille*, scil. ex poetis, narret Sicambros Germaniae populos.

V. 78. *Cepheam*, hic canat Meroen, ubi regnavit Cepheus pater Andromedae.

» *Meroen*. Meroe, insularum, quas Nilus efficit, maxima, et caput regni Aethiopici. Est et oppidum eiusdem nominis.

» *Fuscaque*, intelligit Aegyptum, Aethiopiam, Indiam.

V. 79. *Confessum*, confitentem se victum licet sero.

V. 81. *Pharetris*, populis pharetratis.

V. 82. *Pueros*, Tiberium et Drusum nepotes Caesaris.

ELEGIA VI.

Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit:
  Luridaque evictos effugit umbra rogos.

Arg. Eleg. VI. *Ait, sibi dormienti Cynthiae iam demortuae imaginem apparuisse, conquestamque, quod Poeta eius funus negligenter curasset, et quod parum pius erga mulieris memoriam videretur: variis denique mandatis relictis, sub solis adventum, ad Elysios, unde pedem tulerat, revertisse.*

V. 2. *Evictos* extinctos.

Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremae nuper humata viae:
Quum mihi somnus ab exsequiis penderet amaris, 5
  Et quererer nostrae plurima damna domus.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
  Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
  Summaque Lethaeus triverat ora liquor. 10
Spirantisque animos, et vocem misit: at illi
  Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
  In te iam vires somnus habere potest?
Foederis heu taciti! cuius fallacia verba 15
  Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit hiantes.
  Vnum impetrassem te revocante diem.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
  Laesit et abiectum tegula curta caput. 20
Denique quis nostro curvum te funere vidit?
  Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere; at illud
  Iussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti? 25
  Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
  Iniicere, et fracto busta piare cado?
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae,
  (Sensi ego, quum insidiis pallida vina bibi). 30
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.
  Dicet damnatas ignea testa manus.

V. 12. *Pollicibus*, exiles manus strinxit usque ad articulorum crepitum.

V. 15. *Foederis*, pro, pudet piget que, ac poenitet foederis tacite et occulte inter nos icti.

V. 19. *Crepuit*, nec prope meum cadaver feralis custos insonuit fissa arundine, hoc est fistula arundinea, ut excitatior esset ad vigiliam.

V. 29. *Vratur*, significat Cynthia, Lygdamum veneno insidiatum esse vitae suae. Torqueatur igne Lygdamus, candescat lamina, ad cruciandum vernam, servum.

V. 31. *Nomas*, versipellis autem Afra venefica (quam Lygdamus consulit) removeat magicas suas salivas, h. e. veneficium.

V. 32. *Testa ignea*, candens frustum

Quae modo Dulichio conspecta est vilior Iro,
  Haec nunc aurata cyclade signat humum.
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis, 35
  Garrula de facie si qua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
  Codicis immundi vincula sentit anus.
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
  Per nomen quoniam est ausa rogare meum. 40
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
  Ardenti e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti:
  Longa mea in libris regna fuere tuis.
Iuro ego fatorum nulli revocabile carmen, 45
  Tergeminusque canis sic mihi molle sonet:
Me servasse fidem; si fallo, vipera nostris
  Sibilet in tumulis, et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
  Turbaque diversa remigat omnis aqua. 50
Vna Clytemnestrae probrum vehit, unaque Cressae
  Portat mentitae lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
  Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybebes, 55
  Mitratisque sonant Lydia plecta choris.
Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritae

vasia fictilis fateri coget eius manibus sceleratis mixtum mihi venenum.

V. 35. *Graviora*, et si qua ex ancillis nimium loquax laudavit me, mique cogitur reddere cum pondere gravius pensum in calathis.

V. 38. *Codicis*. Codex erat ligneus stipes, magni ponderis, quem alligati servi, qui deliquissent, trahere cogebantur eique insidere, in eo cubare, secumque semper habere, donec a domino absolverentur.

V. 46. *Canis*. Immanem Cerberum Orci custodem supra modum horrebant veteres: qui tamen se mitem praebere piorum Manibus credebatur.

V. 49. *Sortita*, passive assignata data.

V. 50. *Diversa aqua*, qua scilicet in diversa loca itur.

V. 51. *Vna*, una cymba portat impudicam Clytemnestram, atque eadem vehit infame monstrum ligneum mentitum formam vaccae Cretensis; Pasiphaen Minois regis Cretae coniugem, quae ligneo simulacro a Daedalo inclusa vaccae formam mentita est.

V. 56. *Mitratis*. Nam chori Lydorum, et Phrygum, et Bacchantium mitrati. Cybebe et Bacchus saepe iunguntur.

V. 57. *Andromede*, Cephei regis Aethiopum filia ex Cassiope, quam Nereides alligatam scopulo, cete devorandam obiecerant, ut matris eius

Narrant historiae pectora nota suae.
Haec sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus. 60
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores
In scelus, hoc animum non valuisse suum.
Sic ortis lacrimis vitae solamur amara.
Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris, 65
Si te non totum Doridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: curis hoc sibi promeruit.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
Vre mihi; laudes desine habere meas. 70
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
Et numquam Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen media dignum me scribe columna, 75
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:

HIC . TIBVRTINA . IACET . AVREA . CYNTHIA . TERRA
ACCESSIT . RIPAE . LAVS . ANIENE . TVAE.

Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
Quum pia venerunt somnia, pondus habent. 80
Nocte vagae ferimur. Nox clausas liberat umbras,
Errat et abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethaea ad stagna reverti.
Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.

petulantiam ulciscerentur, quae non verita fuerat illarum pulchritudini formam filiae anteferre. Hanc postea Perseus liberavit occiso ceto et uxorem duxit.

V. 57. *Hypermnestre*, una Danaidum, quae quum reliquae sorores iussu patris viros prima nocte iugulassent, Lynceum sponsum sola servavit.

V. 58. *Pectora historiae suae nota*, pro, historiam, vitae suae scil. notam pectoribus suis, idest, sibi; vel affectus suos erga maritos historiae notos, quae de ipsis loquitur.

V. 59. *Haec*, scil. Andromede queritur sua brachia livida esse facta catenis matris temeritati debitis, quas mater Cassiope propter linguae impotentiam potius meruerat.

V. 60. *Nec meritas*, et manus suae non meruisse, indignas fuisse, quae ad frigidam rupem adstringerentur.

V. 65. *Herba* pro veneficiis.

V. 74. *Pallet*. Aiunt, Tibure, ebur semper caudidum manere, neque unquam pallescere, beneficio aeris, et erumpentis aurae ex calidis et sulphureis Albulis ipsoquo Aniene. Noster numini Herculeo imputare maluit, quia Herculi sacrum Tibur.

Digitized by Google

Haec postquam querula mecum sub lite peregit, 85
Inter complexus excidit umbra meos.

ELEGIA VII.

Amphitryoniades qua tempestate iuvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis,
Venit ad invictos nemorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus et ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque 5
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Iovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos. 10
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves.
Nec sine teste deo; furem sonuere iuvenci:
Furis et implacidas diruit ira fores.
Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo 15
Cacus: et Alcides sic ait, Ite boves,
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
Bis mihi quaesitae, bis mea praeda boves:
Arvaque mugitu sancite boaria longo.
Nobile erit Romae pascua vestra forum. 20

Arg. Eleg. VII. *Narrat, Herculem, Caco latrone interemto, ut collectam sitim restingueret, arcanum quoddam feminarum sacrum, quae ipsi haustum aquae negaverant, violasse, Aramque Maximam ibidem fundasse.*

V. 1. *Amphitryoniades*, Hercules, verbo filius Amphitryonis, re ipsa filius Iovis ex Alcmena.

V. 2. *Erythea*, insula in mari Gaditano, ubi regnavit Geryon.

V. 5. *Velabrum*, vicus olim Romae celebris iuxta Aventinum montem.

V. 8. *Polluit*, violavit Iovem, nempe hospitalem.

V. 13. *Teste*, neque id fecit inscio Iove.

» *Sonuere*, boves mugitu prodidere furem.

V. 15. Maenalio. Clava excisa e Maenalo, Arcadiae monte.

V. 17. *Ultime*, ad hoc tempus labor ultime meae clavae; nam alii fuerant ante labores et fortia facta clavae Herculeae, Leo; Hydra; Aper; Cervus; Stymphalides; Antaeus; Stabula Augiae; Taurus Cretensis; Equi Diomedis; Geryonis boves, pro quibus Cacum interiecit; supererant Cerberus, et aurea Hesperidum mala.

V. 18. *Bis*, semel quaesivit quando Erythiam profectus est, et iterum quum amotae sunt et abactae a Caco.

Dixerat, et sicco torret sitis ora palato,
  Terraque non ullas foeta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
  Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae, fontesque piandos, 25
  Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae:
  Putris odorato luxerat igne casa.
Populus et longis ornabat frondibus aedem:
  Multaque cantantes umbra tegebat aves: 30
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
  Et iacit ante fores verba minora deo:
Vos precor o luci sacro quae luditis antro,
  Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis: 35
  Et cava suscepto flumine palma sat est.
Aud stisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
  Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae?
  Et numquam ad notas irrita tela feras? 40
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?
  Accipite: haec fesso vix mihi terra patet.
Quod si Iunoni sacrum faceretis amarae,
  Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, setaeque leonis 45
  Terrent, et Libyco sole perusta coma:
Idem ego Sidonia feci servilia palla
  Officia, et Lyda pensa diurna colu.
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,

V. 22. *Foeta*, gravida humore.

V. 25. *Loca clausa*, secretum sacrarium, aedem deae Bonae, et aquas religiose servatas, ita ut expiandae essent, si vir inde bibisset.

V. 32. *Verba minora*, humilius loquitur quam deum mox futurum decet.

V. 36. *Suscepto*. Et tamen parum aquae haustae cava manu mihi satis est.

V. 38. *Recepta*, terra a latronibus liberata

V. 41. *Vni*, idest ex mortalibus, quia Bacchus ad inferos iam descenderat; et Mercurius eo saepe commeare putabatur. Post Herculem etiam Theseus eodem ivit.

V. 45. *Sacrum*, sacrificaretis Iunoni mihi infestae. Notum Iunonis in Herculem odium; novercam vocat, quia filius Iovis, cuius uxor Iuno, Hercules credebatur.

Digitized by Google

Et manibus duris apta puella fui. 50
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos,
Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis, hospes, lucoque age cede verendo:
Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur, 55
Quae se summota vindicat ara casa.
Magno Tiresias adspexit Pallada vates;
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Di tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit. 60
Sic anus: illo humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam ianua clausa sitim.
At postquam exhausto iam flumine vicerat aestum,
Ponit vix siccis tristia iura labris.
Augulus hic mundi nunc me mea fata trahentem 65
Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus devota est Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat temeranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis. 70
Sancte Pater salve, cui iam favet aspera Iuno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum Tatii composuere Cures.

V. 57. *Magno*, cum ingenti damno ac malo. Narrat Callimachus in Hymno qui inscribitur, *In Lavacrum Palladis*, Tiresiam quum sitiens ad fontem accessisset imprudentem adspexisse Palladem, ab eaque caecum factum fuisse.

V. 58. *Gorgone*, aegide, in qua caput Medusae.

V. 74. *Sic*, ideo Cures, scil. Sabini, apud quos rex fuit Tatius. Cures oppidum Sabinorum quondam nobile, unde duo reges Romae regnarunt, Tatius et Numa, ad Himellam fluvium. Vrbem Propertius posuit pro populo.

» *Composuere*, condidere et constituere aedem Herculi Sancto, et id ei posuere nomen.

ELEGIA VIII.

Nunc Iovis incipiam caussas aperire Feretri,
  Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter adscendo, sed dat mihi gloria vires.
  Non iuvat ex facili lecta corona iugo.
Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae 5
  Huius, et exuviis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Caeninum Acrona petentem
  Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
  Roma, tuis quondam finibus horror erat. 10
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini
  Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
  Romulus, et votis occupat ante ratis.
Iupiter, haec hodie tibi victima corruet Acron: 15
  Voverat, et spolium corruit ille Iovi.
Vrbis virtutisque parens sic vincere suevit,
  Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
  Et galea hirsuta comta lupina iuba. 20
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
  Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
  Vincere quum Veios posse laboris erat.
Necdum ultra Tiberim belli sonus: ultima praeda 25
  Nomentum, et captae iugera pauca Corae.

Arg. Eleg. VIII. *Cur Iupiter Feretrius nominatus, et qui Romani imperatores, ducibus hostium sua manu occisis opima spolia reportaverint.*

V. 7. *Caeninum.* Caenina urbs Latii non procul ab Vrbe. Huius incolae Caeninenses et Caenini. Acron Caeninensium rex, qui ob raptas Sabinas bellum cum Romulo Romanisque suscepit, et a Romulo singulari certamine victus est.

V. 9. *Herculeus.* Herculeum vocat Acronem, vel quia ab Hercule descendebat, vel quia maxime bellicosus, vel quia Caeninenses Herculem colebant.

V. 20. *Galea*, et fuit illi galea ex pelle lupi ornata hispida crista. Alludit ad lupam Romuli nutricem.

Et Veii veteres et vos tum regna fuistis,
  Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
  Cantat, et in vestris ossibus arva metunt. 30
Forte super portae dux Veïus adstitit arcem,
  Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
  Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, Forti melius concurrere campo. 35
  Nec mora fit, plano sistit uterque gradum.
Di Latias iuvere manus; desecta Tolumni
  Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridanum traiectos arcuit hostes,
  Belgica cui vasti parma relata ducis 40
Virdumari; genus hic Rheno iactabat ab ipso,
  Nobilis et tectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis iaculantis ab agmine braccis
  Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita; caussa Feretri, 45
  Omine quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis humeris huc arma ferebant,
  Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis.

V. 27. *Veii veteres*, et vos, o nobiles Veii, et vos tum fuistis regna, qui nunc boum pascua.

V. 37. *Latias*, Romani ducis Cossi manus adiuvere.

V. 39. *Claudius*. M. Claudius Marcellus.

V. 40. *Belgica*, pro Gallica; nam Belgae tertiam Galliae partem incolunt.

ELEGIA IX.

Desine, Paulle, meum lacrymis urgere sepulcrum.
  Panditur ad nullas ianua nigra preces.

Arg. Eleg. IX. *Sub nomine Corneliae e vivis ereptae, scripta est haec Elegia ad Aemilium Paullum Censorem maritum, quem monet, ut a lacrymis temperet, utpote nil profuturis, ipsique filios commendat.*

V. 1. *Paulle*. Fuit hic Paullus Aemilius Lepidus, qui censuram gessit, anno ab V. C. DCCXXXI.

Quum semel infernas intrarunt funera leges,
  Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem furvae deus audiat aulae, 5
  Nempe tuas lacrymas litora surda bibent.
Vota movent superos; ubi portitor aera recepit,
  Obserat umbrosos larida porta rogos.
Sic moestae cecinere tubae, quum subdita nostrum
  Detraheret lecto fax inimica caput. 10
Quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum
  Profuit? aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
  En sum quod digitis quinque levatur onus.
Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes, 15
  Et quaecumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni,
  Det pater hic umbrae mollia iura meae.
Aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna,
  In mea sortita vindicet ossa pila. 20
Assideant fratres, iuxta Minoïa sella, et
  Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe mole vaces; taceant Ixionis orbes;
  Fallax Tantaleo corripiare liquor;
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras, 25
  Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquar pro me: si fallo, poena sororum
  Infelix humeros urgeat urna meos,

V. 3. *Quum semel*, manes intrarunt inferorum limen.

V. 8. *Rogos umbrosos*, paulo audacius pro *umbris* ipsis, quae modo rogum effugerant.

V. 10. *Detraheret*, sensim absumeret corpus meum.

V. 14. *Onus*. Vrnae in quibus cineres condebantur et parvae erant, et interdum manu gestabantur, ansis propterea vel singulis vel binis instructae.

V. 18. *Pater*, Pluto inferorum rex.

V. 19. *Si quis*. Aeacus qui iudicio praesidet, sedet ut iudex adstante apposita urna. In hac nomina iudicum versabantur, et sorte educebantur.

V. 20. *Sortita pila*, educta ex urna pila, in qua iudicis nomen inscriptum est; animadvertat in me mortuam, siquid deliqui.

V. 21. *Assideant*, Assessores Aeaci sint eius fratres, Iovis scil. filii Rhadamanthus et Minos.

» *Iuxta*, ad eius latus stet Minois sedes.

V. 23. *Vaces*, careas gravi illo saxo, quod perpetuo volutas.

V. 24. *Fallax*, et tu fugiens aqua, a Tantalo retinearis, ad Tantali voluntatem subsistas.

V. 27. *Sororum*, Danaidum.

Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos. 30
Altera maternos exaequat turba Libones,
  Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
  Vinxit et acceptas altera vitta comas:
Iungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili; 35
  In lapide huic uni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos,
  Sub quorum titulis Africa tonsa iaces:
Qui Persen proavi simulantem pectus Achillis,
  Quique tuas proavus fregit, Achille, domos: 40
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
  Labe mea vestros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum:
  Quin et eram magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas: sine crimine tota est. 45
  Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas:
  Ne possem melior iudicis esse metu:
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas:
  Turpior adsessu non erit ulla meo. 50

V. 29. *Numantinos* dicit, propter Scipionem Aemilianum, qui et Africanus minor dictus est, a quo deleta fuit Carthago in Africa, et Numantia in Hispania unde Numantinus appellatus. Alter P. Scipio maior qui Carthaginem subegit, ab Africa devicta dictus est Africanus.

V. 31. *Altera*, alia multitudo cognatorum parea facit his, scil. Africanis et Numantinis avis paternis, avos maternos, Scribonios, Libones. Corneliae mater Scribonia erat, Scribonii autem, Laigi, Curiones, Drusi, Libones.

V. 35. *Praetexta*. Praetexta deposita, rectam tunicam a texturae ratione ita dictam, induebant novae nuptae die nuptiarum.

V. 33. *Iungor*, fio particeps et socia tui tori, abitura e lecto et domo tua non divortio sed morte.

V. 33. *Tonsa*. Ob oculos ponit captivam Africam, et captivarum more detonsam capillos.

V. 39. *Persen*, et testor eum qui vicit Persen, sive Persea.

V. 40. *Proavus*, venit ad suum proavum L. Aemilium Paullum, qui totam Aeacidarum domum fregit, atque excidit. Constat Aemiliam gentem Corneliae Scipionum familiae, ope adoptionis insertam.

V. 41. *Censurae*. Erant etiam censoriae leges de re uxoria.

V. 43. *Fuit damnum*. Cornelia non fuit detrimento, dedecori tam insignibus victoriis et triumphis.

V. 46. *Vtramque*, facem scil. nuptialem, et sepulcralem.

V. 48. *Ne possem*, ita ut magis proba esse non possem ob metum iudicis.

V. 50. *Adsessu*. Castissimis quibusque feminis assidere possum absque illarum dedecore.

Vel tu, quae tardam movisti fune Cybebem,
  Claudia, turritae cara ministra deae:
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
  Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te dulce caput, mater Scribonia, laesi. 55
  In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,
  Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
  Increpat: et lacrymas vidimus ire deo. 60
Et tamen emerui generosos vestis honores,
  Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu Lepide, et tu Paulle, meum post fata levamen;
  Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem: 65

V. 51. *Vel tu*, sive sis tu.

V. 52. *Claudia*, Appii Caeci filia virgo Vestalis, quae crimine falso accusata, miro numinis indicio probavit omnibus pudicitiam suam. Quum enim imago matris deorum, adverso Tiberi Romam veheretur, et navis repente stetisset, nec ullis viribus de loco moveri posset, consulti Sybillini libri a castissima demum femina pertractum iri respondeerunt. Tum Claudia deae supplicavit, ut si se pudicam nosset, sequeretur castas manus; deinde zona imposita nullo negotio movit ratem, et simulacrum adduxit.

V. 53. *Vel cui*, sive illa sit cui etc. Significat Aemiliam virginem Vestalem. Quum olim ignis Vestae defecisset, negligentius asservante Aemilia, quae eius custodiam alteri novitiae Vestali mandasset, venit in suspicionem quasi parum caste rem sanctissimam tractasset: tum inops consilii Vestam prius adprecata, iniecit arae avulsam partem carbasinae vestis; ac tum e frigido cinere per carbasum flamma emicuit.

V. 55. *Dulce caput*, mater mea suavissima.

» *Scribonia*. haec fuit soror Libonis tertia Augusti uxor, quam tameo dimisit.

V. 58. *Defensa*, quasi suspicione alicuius culpae perstricta sit Cornelia, quam tamen Caesar falsam ostenderit, qui et eius morti illacrimarit et praedicarit dignam quae filia sua esset.

V. 60. *Increpat*, cum sensu quodam doloris commemorat, dicit me sororem uterinam filiae suae Iuliae fuisse dignam, quae essem sua filia, quae se vitricum haberem; non Iuliam sororem meam a matre Scribonia.

» *Deo* huic Deo, scil. Augusto.

V. 61. *Vestis*, signare videtur vestem matronalem, quae conceditur matronis, quae matres trium liberorum factae sunt. Ait enim se duos filios Lepidum et Paullum reliquisse et unam filiam.

V. 62. *De sterili*, nec rapta sum de domo sterili quum ad Paulli domum virgo deducerer; nec de domo sterili me rapuit mors ad sepulturam. Nam et Cornelia stirps, et Aemilia ambae fecundae. Haec autem et per me liberos habuit.

V. 65. *Paulle*. Paullus hic L. Aemilii Paulli Censoris et Corneliae filius, et Lepidus frater in Augustum coniurarunt.

V. 65. *Fratrem*, vidi iterum factum aedilem vel praetorem, vel consulem.

Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia, tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus; mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis tot mea fata malis. 70
Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum 75
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adiice matris.
Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis:
Quum venient, siccis oscula falle genis. 80
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges;
Somniaque in faciem credita saepe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Vt responsurae singula verba iace.
Seu tamen adversum mutarit ianua lectum, 85
Sederit et nostro cauta noverca toro:
Coniugium, pueri, laudate, et ferte paternum.
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis, collata priori
Vertet in offensas libera verba suas. 90
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos:
Discite venturam iam nunc sentire senectam,
Coelibis ad curas nec vacet ulla via.

V. 69. *Serie*, et numerosa prole familiam sustentate. Charontis cymba iam in eo est, ut vela faciens me non invitam traiiciat; quoniam si longius vitam produxissem, fortasse mariti, filiorum, cognatorum obitus, vel infortunia videre ac sentire mihi contigisset, adeoque miserior ad Orcum tandem migrassem.

V. 77. *Adiice*, adde illis etiam oscula matris.

V. 79. *Sine testibus*, supple, doleas licet me erepta, at quum ipsi praesentes non erunt.

V. 82. *In faciem*, visa nocturna, quae saepe a te credentur imitari faciem meam.

V. 85. *Seu tamen*, apostrophe ad liberos.

V. 94. *Coelibis*. Nullum officium praetermittite, quod pietati vestrae in parentem coelibem convenire videatur.

Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos; 95
Prole mea Paullum sic iuvet esse senem.
Et bene habet: numquam mater lugubria sumsi.
Venit in exsequias tota caterva meas.
Caussa perorata est: flentes me surgite testes,
Dum pretium vitae grata rependit humus. 100
Moribus et caelum patuit: sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa vehantur avis.

V. 99. *Surgite*, vos qui illacrimatis morti meae, et ita testimonium pro me fertis, ut mater, Caesar, et urbs tota, cuius querelis laudor. Erant autem iudicum, reorum, accusatorum et testium subsellia; qui omnes dicturi surgebant: postquam dixerant rursus assidebant. Testes autem interrogabantur caussa perorata. Videtur significare inter manes fuisse qui se flerent.

V. 100. *Grata humus*, pro terra et hominibus: dum grati homines rependunt mihi praemium vitae laudabiliter actae, me nimirum post obitum laudando.

V. 102. *Ossa*. manes.

» *Avis* pro ad avos.

INDEX

EORVM QUAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR

De Vita Propertii ex Io. Ant. Vvlpio . pag. 5

LIBER I.

Elegia I. Quid iuvat ornato procedere, etc. . » 7
» II. Non ego nunc Adriae etc. . . . » 8
» III. Tune igitur demens? etc. . . . » 9
» IV. Tu licet abiectus etc. . . . . » 10
» V. Saepe ego multa tuae levitatis etc. . » 11
» VI. Et merito, quoniam potui etc. . . » 13
» VII. Hoc pro continuo te, Galle, etc. . . » 14
» VIII. Tu, qui consortem properas etc. . . » 15
» IX. Qualis et unde genus, qui etc. . . » 16

LIBER II.

Elegia I. Quaeritis unde levi fingamus etc. . » 17
» II. Iam tempus lustrare etc. . . . » 19
» III. Scribant de te alii, vel sis ignota, licebit » 20
» IV. Quandocumque igitur nostros mors etc. . » 21
» V. Atque utinam primis etc. . . . » 22
» VI. Etsi me invito, discedis, Cynthia, Roma. » 23
» VII. Vidi te in somnis, fracta, etc. . . » 24
» VIII. At vos incertam, mortales, etc. . . » ib.
» IX. Quaeris, cur veniam tibi tardior? etc. . » 25

Digitized by Google

LIBER III.

Elegia	I.	Callimachi manes, et Coi etc.	pag. 27
»	II.	Orpheu, te lenisse feras etc.	» 29
»	III.	Visus eram molli recubans etc.	» 30
»	IV.	Arma deus Caesar etc.	» 32
»	V.	Pacis Amor deus est, etc.	» 33
»	VI.	Ergo sollicitae tu caussa, etc.	» 35
»	VII.	Maecenas eques, Etrusco etc.	» 38
»	VIII.	Mirabar quidnam misissent etc.	» 40
»	IX.	Postume, plorantem potuisti etc.	» 41
»	X.	Certa quidem tantis caussa etc.	» 43
»	XI.	Nunc, o Bacche, tuis humiles etc.	» 45
»	XII.	Clausus ab umbroso qua ludit etc.	» 47
»	XIII.	Magnum iter ad doctas proficisci etc.	» 48
»	XIV.	Frigida tam multos placuit etc.	» 49
»	XV.	Ergo tam doctae nobis etc.	» 52

LIBER IV.

Elegia	I.	Hoc quodcumque vides, hospes, etc.	» 53
»	II.	Quid mirare meas tot etc.	» 58
»	III.	Haec Arethusa suo mittit etc.	» 60
»	IV.	Tarpeium nemus, et Tarpeiae etc.	» 63
»	V.	Sacra facit vates etc.	» 66
»	VI.	Sunt aliquid Manes : letum etc.	» 69
»	VII.	Amphitryoniades qua tempestate etc.	» 73
»	VIII.	Nunc Iovis incipiam caussas etc.	» 76
»	IX.	Desine, Paulle, meum lacrymis etc.	» 77

HABITA FACVLTATE

19984

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTE